



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniae, Anno 1702**

**VD18 1237699X**

Prooemium. De Coelo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)



*In eternum exultabunt Psal.*

*Tot afflues bonis si fueris bonus.*

tr  
de-  
um  
qui

E



terno læti, coronatique fruuntur. Et hoc proprium est hominis, qui hic velut in exilio peregrinatur a Domino, cælum velut patriam contueri. Cur enim existimas is Deum, os hominis, oculosque in altum erexisse? cur ut bruta pecora lutum, solumque spectamus? Accipite responsum à Divo Bernardo. [a] Propterea Deus rectum fecit hominem, etiam corpore ipso, & os hominis sublime dedit, cum prona utique spectent animantia cætera terram, & attollens ad sidera vultus illico suspiret, ubi tam beatam, & perennem conspicit mansionem: mane piè, & fideliter nobis eam intuentibus, vehementissimum quoddam incentivum amoris, & provocatio flagrantissimi desiderii, & visio ipsa illius lucidissimæ regionis? non sunt stellæ cæli similes glebis terræ, inter splendorem solis, & caliginem terræ hujus, non parva distantia est; forte tamen in terra nonnulla pulchra videntur, & hæc ipsa undique mixta non pulchris, & aurum in lu-

to,

a Serm. de S. Martino.

to, gemma in pulvere, liliū in ter-  
 spinas, tota pulchra es, patria mea, &  
 macula non est in te: tota pulchra es,  
 absque eo, quod intrinsecus latet: non  
 sine causa cælum dicitur planè exi-  
 mium, nescio quid celatur in eo; vide-  
 mus patriam, sed à longè salutamus,  
 adoramus illas delicias, sed non gusta-  
 mus. Ita S. Bernardus. Nunc igitur  
 & sursum ascendamus vos adhortor,  
 duabus istis voculis, quas toties in sacro-  
 sancto Christi sacrificio auditis. Sur-  
 sum corda. Hactenus corda vestra fue-  
 runt deorsum in regione mortis, in tar-  
 tarorum altissimo barathro, in centro  
 terræ; nunc sursum corda, sursum supra  
 terram, & terrarum palatia, ac divi-  
 tum pavimenta: ac quidquid ex terra  
 concretum est: sursum super omnia sub-  
 lunaria, & aeris regionem, & planeta-  
 rum domicilia, ac sphaeram ignis; sursum  
 super omnes stellas, & solem, & orbes  
 caelestes, & firmamentum; intrate in  
 gaudium Domini, in illud gaudium,  
 quod nemo tollet à vobis, stete ut viri illi  
 Galilæi aspicientes in cælum, & ut ver-  
 bi

*bis utar S. Bernardi.* Visitate singulos ordines Angelorum, Patriarcharum numerum, & cuneos Prophetarum, & Apostolorum senatum: [a] suscipite Martyrum coronas purpureis floribus rutilantes, redolentes liliis cohortes Virginum admiramini, & ad mellifluum novi cantici sonum: quantum prævalet infirmitas cordis, erigite aures.

## C A P U T I.

*Homo novus despicit magna terra, expensâ magnitudine cali.*

Immensum propè est, ut spatii intervallum, sic & conditionis discrimen, inter hæc tria tri loca, cœlos, terras, inferos. Cùm enim mundus hic medius sit inter cælum & infernum, in quo ea quæ supra in cælo, & infra in orco continentur, inveniuntur; ex amore eorum, quæ homo amplectitur, ejus felicitatis, vel miseriæ augurium capitur. In cælesti illa gloria vita absque morte reperitur, in inferno  
autem

a Serm. 4. de Ascen. Dom.

autem mors absque vita: medius utriusque mundus, morte & vita constat. In cælo sanitas est absque morbo: in inferno infirmitas absque sanitate: in mundo & sanitas & infirmitas. In cælo gloria absque miseria regnat; In inferno miseria sine gloria dominatur: in terris utrumque invenitur. In cælo pax absque bello, in inferno bellum sine pace. In mundo, utrumque videre est: denique in cælo sunt omnia bona sine malis; in inferno, omnia mala sine ullo bono, in hoc mundo bona & mala inter se mixta.

Nunc autem nostri est arbitrii quædiu sol intelligentiæ lucet supra horizontem Animæ nostræ, quæ placet eligere, vel bona æterna, ubi nulla sunt mala, vel mala æterna, ubi nulla sunt bona. Sed ne in horum electione erremus errorem irreparabilem, quem tota nec corriget æternitas; postquam timore vos perculi proponendo æterna in orco mala, jam contendam desiderio accendere, obtinendi æterna, quæ in cælo sunt, bona.

Illic

Illic interim fixa sint nostra & corda & lumina, ubi vera sunt bona & gaudia. Priusquam tibi infinitos cælestis gloriæ thesauros aperiā, locum ipsum, in quo hi thesauri absconditi sunt, proponam; & quantus ille sit mole, quā altus, longus, latus, exponam. Magnitudinem cæli facilè quis conjiciet ex altitudine, altitudinem ejus demonstrant Astronomi primo ex Sole. Prodeat ergo in theatrum vas illud magnum, fons omnium luminum sol, cujus aspectu quotidie perfundimur, cujus aspectu quotidie fruimur, cujus speciem quotidie intuemur. Is nostris oculis non videtur major globo aliquo communi sphærico. Quantæ putatis solem esse molis? supra totius terræ ambitum centies & sexagesies; hæc non est unius, sed omnium plane, nullo excepto, Astronomorum conspirans sententia. Itaque sunt in sole 160. quasi mundi. Et tamen quam exiguæ apparet nobis sol molis? Jam verò quantum putatis distare solem à terra? necesse enim est immenso quodam

O

dam



dam spatii intervallo à nobis distare cum tam vastum corpus, nobis appareat tam pusillum. Audite & obstupescite. Distat Sol à terra 4. millionibus miliarium (millionem voco decies centena millia) & amplius. Unde sequitur tantam esse peripheriam & vastitatem Cœli solaris, ut sol 24. [a] horis suum circulum peragens, una hora percurrat unum millionem & 140. millia miliarium: quod tantumdem est, ac si terræ ambitum, & gyrum circumcurreret quinquages. Ambitus enim convexi cœli solis continet 27. milliones & 360. millia miliariorum. O liceat hic clamare: [b] *O Israel quàm magna est domus Dei, &c.* O Reges! ac terrarum Principes! Quid pro digitali terræ glebula tam atrocibus bellis geritis! Quid pro arena una totum orbem cœdibus funestatis, & tam cruenta prælia præliamini? cœlum aspiciite, & suspiciite. Quale regnum vertici vestro incumbit, pro illo pugnite, donec expugnetis. Nullum

a 3. b *Baruch. 3. 14.*

lum pro eo bellum non justum est. Sed relicto sole, altius animo ascendamus, & quàm pusillum sit, quidquid in terra videtur magnum, intelligamus. Ascendamus à cælo solis ad ipsum firmamentum. Quantum putatis firmamentum distare à terra? Docebunt nos iidem illi Astronomi. Probant illi, & convincent terram à concavo firmamenti, sive cæli octavi & stellati, distare octoginta millionibus milliarium cum dimidio, spissitudinem verò firmamenti esse eandem. Quanta ergo debet esse distantia, spissitudo, & amplitudo cæli noni, decimi & undecimi, si qui sint aliis superiores, ac maximè cæli empyrei? Inde jam deducunt, si lapis molaris inciperet cadere à convexo firmamenti versus terram, antequam terram attingeret, opus esset 92. annis ut decideret. Deus immortalis, videtur id humana fide majus. Vos proponite vobis lapidem molarem, ingentem, quam vastum, summi ponderis, quo majoris est ponderis, eò

celeriori impetu deorsum fertur: fingite talem lapidem cadere ex altissima quam unquam vidistis turri, dicetis momento prope esse in terra: omnes qui sunt circa turrin fugiunt, dum vident ex alto moveri. Fingite Angelum revelare vobis jam nunc ex firmamento devolvi lapidem hujusmodi recta super vestra capita. Non est quod quis hinc fugiet, ut interitum effugiat, maneat quisque securus sine metu: si sit adolescens, fiet juvenis, fiet vir, fiet decrepitus & de pontanus senex, toto incanescet capite, antequam lapis is tangat caput: cum inceperit agere annum 90. tum tempus est ut fugiat, & sibi prospiciat. Ex hac ergo cæli à terra distantia, constat, quanta sit cæli altitudo. Sed firmemus in firmamento adhuc gradum, & quanta sit stellæ magnitudo, inquiramus, docent Astronomi, nullam esse stellam, quæ non decies octies major sit toto globo terræ, & tamen stellæ prope sunt innumeræ. Quælibet autem stella in æquinoctiali posita singulis horis  
con-

conficit plus quàm 42. milliones miliarium; si ergò in stella aliqua, & multò magis si in cælo empyreo confisteremus, & despiceremus hunc terræ globulum, an non exclamaremus cum Seneca: [a] *Hoc est punctum, quod inter gentes ferro & igni dividitur: ô quàm ridiculi sunt hominum termini. Punctum est in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, sursum ingentia spatia sunt.* Deinde cum formicis homines conferens. *Cum te, ait, in ista verè magna sustuleris, quoties videbis exercitus subjectis ire vexillis, dices, it nigrum campis agmen, formicarum est discursus iste, in angusto laborantium.* Videte nunc quàm sint omnia, quæ videntur magna, risu, & contemptu digna. Poëtæ si quando quempiam parvi volunt facere, ac vilependere donum ejus, aut prædium, aut fundum, aut agrum parvum esse ajunt, itaque contemptim describunt, ut cum ipsa domo Dominum con-

O 3

tem-

a L. 1. Natur. in proemi.

temnere & palam ridere videantur.  
 [a] Hoc pacto inter Græcos Lucilius scripsit, Monophanis agrum tam parvum extitisse, uti se suspendere in illo, propter famem non potuerit, neque mortuus sepeliri. [b] Alius quidam Lupo gratias agens, affirmat se prandium ab illo quàm prædium accipere maluisse. Nam pensilem præ fenestra hortum suum in florum testa, rure illo esse majorem: cùm ruta unica totum illud rus occupet, cum unius cicadæ ala rus totum tegat: cùm uno die formica totum rus assumat: cum clausæ rosæ folium, rus totum coronet. O miseri Monophanes, qui agros tam angustos, qui fundos tam breves, qui domos tam exiguas, qui prædia tam contracta, qui atomos, qui unius rutæ spatium, qui locum ab ala cicadæ tegendum, pratum à formica devorandum, hortum à rosæ nondum apertæ folio coronandum,

a L. 2. *Antholog.* b *Martial.* l. 11.  
 Exig. 19.

dum, capacissimo cælo, vastissimo palatio, immenso Deo antefertis. Bestiæ deorsum spectant, porcillum versant, talpæ terram in deliciis habent, forex fodit, & rimatur glebas, scarabæus stercora amplexatur, sic peccatores, sic infideles, sic hæretici, sic athei, quia neque animum, neque oculos ad cælum attollere possunt, toti terrenis inhiant, ad lumen noctuæ, ad tenebras aquilæ. Aliter filii Dei, qui patrem suum non in rebus parvis, sed magnis, non in imis, sed summis quærunt: quia spem fidemque habent æternitatis: oculos in stellas conjiciunt, animum ad cælum attollunt, mentem in Deo defigunt: hinc tam læti alacresque caduca relinquunt, terrena contemnunt, vilia calcant.

\* \* \* \*

## CAPUT II.

*Novus homo spretis terræ angustiis,  
meditatur ampla ex cœli am-  
plitudine.*

**U**T in hoc argumento de cœlesti gloria, quod & jucundissimum est auditu, & utilissimum fructu, ordinatè, sine confusione procedamus, hunc ordinem observemus, ut primò, locum ipsum, qui est cælum empyreum, depingamus, deinde dotes & gaudia omnia, quæ in corpus, tum quæ in animam redundabunt, exponamus. Prius conatus fui ad oculum demonstrare cœli immensam magnitudinem ex magnitudine solis, stellarum ac firmamenti, ejusque à terris distantia, modò à firmamento ad cælum ipsum empyreum, Beatorum felicissimum domicilium, gradum faciamus. Ut cœli amplitudo ab omnibus intelligatur, notandum est, undecim esse cœlos, qui his nominibus ab Astrologis insigniuntur, cælum Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis,  
Sa-

Saturni, firmamentum, primum mobile, cælum crystallinum, & Empyreum: quod est regnum Beatorum. Hic est ergò cælorum ordo. Jam ut reliquis omissis de cælo Empyreo differamus, quantæ sit illud capacitatis, accipite ex Astronomis. Dixi antea, firmamentum distare à terra 80. millionibus milliarium cum medio, & amplius; quantum putatis ergò distare ipsum cælum empyreum? Ex mente omnium Astronomorum, cælum Empyreum, quoad concavam sui partem, distat à centro terræ mille 295. millionibus, & 9. millibus milliarium. Jam si secundum eorum principia, tantundem spiffitudinis illi tribuas, pars ejus convexa distabit à centro terræ bis mille 590. millionibus, & 159. millibus milliarium, & hæc tantum semidiameter faciunt. Integer ergo diameter per centrum terræ, usque ad convexam ejus partem continebit quinque mille, & 180. milliones, & 318. millia milliarium. Tota verò circumferentia convexæ ejus partis,



partis, quæ ter diametrum continet,  
 & paulò amplius, illud ampliùs re-  
 linquendo, complectetur 15. millia  
 miliarium, & 540. milliones, & 954.  
 millia miliarium. Quæ certè alti-  
 tudo & latitudo immensa est, & va-  
 stitas incomprehensibilis: quæ licet  
 fidem humanam superare videatur,  
 tamen scripturæ loca varia non ex-  
 haurit: cùm dicat locum cæli esse im-  
 mensum, nec habere finem. Et Eccle-  
 siastes. [a] *Altitudinem cæli & latitu-  
 dinem terræ, quis dimensus est?* Quasi  
 dicat: Nemo Geometra potest metiri:  
 quia est tantum non immensum. Quis  
 hæc cogitans tam amens sit, & stoli-  
 dus, ut iniquè punctum ex hoc pun-  
 cto, videlicet agrum, domum, aut rem  
 aliam, proximo, per vim aut fraudem  
 surripere, itaque se immensis orbium  
 supernorum spatiis excludere velit?  
 Quis punctum terræ præferat cælo-  
 rum immensitati? Quis particulâ ter-  
 ræ rubræ vel albæ (nec enim aliud est  
 aurum vel argentum) vendat va-

stiffi-

a Cap. 3.

stissima stellarum palatia? Et tamen quot litibus contenditur, quot Advocati, causidici sese fatigant pro uno prædiolo, pro jugero terræ? Verè Boëtius, terram universam non solum punctum, sed punctum puncti appellat, sic enim loquitur: [a] *In hoc ergo minimo quodam puncti puncto conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis?* Tam parvus est vicus orbis terrarum, si cælo conferatur. Illic ergo conversi sint semper nostri oculi, ubi æterni sunt thesauri. Ita S. Symphorianus, adolescens, cum ab Aureliano Imperatore ad Martyrium raperetur, mater eum hisce verbis animavit: *Nate, nate, memento aeternæ vitæ, cælum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed in melius commutatur.* Cælum suspexit, & tormenta omnia despexit, oblataque fortiter cervice carnifici, cælum mox fuit ingressus, quod paulò ante fuerat intuitus. Quisquis hîc affligeris infirmitate, an-  
geris

a L. 2. de confid.

geris dolore, obrueris tristitia, invol-  
veris ærumnis, cælum suscipe. Si post  
gravissimas multorum annorum li-  
tes, causâ cecideris, si ereptæ tibi sint  
opes, si læsa est fama, si passus es bono-  
rum jacturam, si deturbatus es de gra-  
du dignitatis, si excideris gratia Prin-  
cipis, si hostis agros vastavit, horrea  
incendit, domum expilavit, omnibus  
te fortunis exuit; Cupis contra hos  
morbos amuletum, quæris in tot æ-  
rumnis perfugium, exoptas contra  
omnia hæc mala certissimum præsi-  
dium? cælum suspice. Inter omnia cir-  
ca se ruentia, stabit semper erecto a-  
nimo, quisquis convertit erectos ad  
sidera vultus. Interim quot sunt, qui  
ob digitale tuguriolum, ob pedale  
prædiolum, ob exiguum agellum, li-  
tibus acerrimè contendunt, amicitiam  
violabunt, contra fas & nefas aliena  
iniquè tollent, altercabuntur, vocife-  
rabuntur, & tantum non se mutuò, si  
non dentibus, saltem contumeliis, &  
dicteriis lacerabunt. Audite hîc lo-  
quen-

quentem Augustinum. [a] *Utere mundo, & non te capiat mundus. Quid intrasti? Iter agis, exiturus venisti. Iter agis, hospitium est hæc vita. Quid hic ergò immortalia opera cogitas mortalis? Brevi migrandū est ex hospitio in domicilium, ex hoc exilio ad patriam, hoc carcere in regnum; soluta semel vinculis corporis anima, non diu hærebit in itinere, licet immenso quodam spatii intervallo distitum sit cœlum à terra. Sed, si cœlesti gloria digna fuerit, ad summum illud cœlum in momento quasi demigrabit: sicut cogitatio nostra in instanti excurrit, quocumque vult, & subito est in Oriente, Occidente, Græcia, Hispania, Indiis. Et sicut oculus noster, quamprimum nocte serena illum aperimus, & ad cœlum attollimus, statim videt cœlum stellatum, & omnes stellas; Ita anima nostra soluta corpore, statim erit in cœlo Empyreo, tot licet miliarium millionibus à nobis dissito. Hac itineris ad cœlum*

P

bre-

*a Tract. 40. in Joan.*

brevitate, sese solabatur, nostro sæculo matrona illa generosa, fidei causâ in Anglia ad mortem damnata, horrendum visu, ac perpeffu, ut scilicet saxo acuto incubans, superne imposito gravi pondere permeretur, dum vita ei, & anima exprimeretur, aliis horrentibus, ipsa læta cygneum canens: [a] *Tam brevis, ait, via est qua ducit ad cælum: post sex horas super Solem, & Lunam evehar; astra pedibus premam, empyream inibo.* O quantus nobis omnibus lætitiæ campus aperitur cogitantibus, post 6. fors dies, post sex menses, post sex annos, certè post 60. años, hæc omnia quæ legimus miranda, spectabimus, efferemus nos super ærem, & spæram ignis Lunam, stabimus super planetas, & Solem, firmamentum, calcabimus omnes quæ vertici nostro imminent stellas. Cur ad illa excellissîma spatia cogitationes nostras non efferimus, dum adversis & rimimur? Hic frequens animi per cogitationes ad cælum ascensus, sup-

a *A Lapide in Pent. 4. 51.*

suppeditaret invictum contra omnes  
vitæ ærumnas robur. Ita sanctus Vin-  
centius mente in cælum se librans, vi-  
cicit, immò risit omnia Daciani tor-  
menta: cumque in equuleo sublatus,  
ab eo per ludibrium quæreret Dacia-  
nus Tyrannus; ubinam esset? *In  
sublimi*, ait, *unde te potestate terre-  
na tumentem altè, despicio.* Graviora  
minitanti: *Non minari mihi, vide-  
ris*, respondit, *sed quod votis omni-  
bus concupieram, afferre.* Igitur cum  
ungulas, faces, prunas, toto cor-  
pore dilacerato constanter exciperet,  
ait. [a] *Frustra fatigaris Daciane;  
non potes tam horrenda cogitare tor-  
menta, quæ ipse paratus sum sustine-  
re. Carcer, ungula, candentes la-  
mina, morsque ipsa, ludus, jocus-  
que Christianis sunt, non tormenta: cæ-  
lum enim cogitant. Sicut igitur qui  
cælum sæpè suspicit, non tam ocu-  
lis crassioribus corporis, quàm a-  
cutioribus fidei, despicit omnia cor-  
poris*

P 2

poris

à A Lapide in Prop. M. 914.

poris tormenta , ita & contemnet omnia vitæ oblectamenta.

---

CAPUT III.

*Homo novus erigit se è cælo ad cælum,  
dum contemplatur venustatem  
Cæli.*

[ a ] § Tetimus nuper in atriis domus Dei, in suburbiis cœlestis Jerusalem, in vestibulo magni illius palatii: modò subeamus tecta: ingrediamur ipsum palatium, non ex auro, ebore, & electro, sed è nobiliori materiâ ædificatum: inferamus pedem in illam civitatem, de quâ Propheta loquitur: (b) Gloriosa hæc est Civitas immortalium civium, Principum, & filiorum Dei, qui unâ cum Angelis politiâ, singulari voluntate, amore invicto, & inflammato, Dei legibus perfectè sese submittunt. Hæc Civitas, est patria nostra; illic amplissima sunt fundamenta, altissimi muri, plateæ

pro-

a Cæli venustas, ornatus, elegantia.  
b Psal. 86. 3.

prolixissimæ , quæ gemmato pavimento , tessellato emblemate , electo lapide undique collucent. Miratur posteritas opus illud prodigiosū Dionysii, qui cū magnis, multisque præliis Indiam sibi subjugasset ; postea in trophæum, templum sibi construxit a deo magnificū, ut in eo 365. grad<sup>o</sup> quasi ex saphiro purpureo continerentur, teste Epiph. [a] Hoc Templum collatū cum immenso illo coeli palatio, minus est , quàm doliolum Diogenis, collatum cum toto hoc mundo. Sed frustra conamur explicare inexplicabilem loci illius amplitudinem, & magnificentiam, multò minùs inæstimabiles , quæ illic reconditæ latent, divitias & delicias. Non possunt eas, neq; Arithmetici calculis numerare , neque Geometræ calamo metiri , neque Oratores, neq; Dialectici, neque Grammatici oratione explicare. Sed quia hîc potissimum agimus de loci dumtaxat pulchritudine, ac splendore: quantus is sit, vel hinc licet arguere. Pro-

P 3

pona-

a L. 12. de gem. c. 5.



ponamus nobis finem, cur Deus cœ-  
 lum procreavit; ob quam causam?  
 quid per hoc intendit? Non aliam ob  
 causam, cœlum condidit, quàm ut  
 quanta sit ejus Potentia, Sapiencia,  
 Bonitas, Majestas, Magnificencia; om-  
 nibus, & Angelis, & hominibus, to-  
 tiq̄ue rerum universitati, palàm non  
 tantùm ostenderet, sed ostentaret.  
 Quod si igitur voluerit Deus opus il-  
 lud condere; ut in eo, velut in clarif-  
 simo theatro Potentiam suam manife-  
 staret, vos & jam concipite, quanta il-  
 la sit? Tanta est illa; ut quemadmo-  
 dum hunc mundum unico pollentis  
 voluntatis nutu fabricatus est: ita in-  
 finiros, ut sic loquar, eodem nutu,  
 verbo uno & procreare, & procreatos  
 possit in nihilum redigere. Dein quid-  
 quid facit, nullo conatu, & labore  
 facit; eâdem facilitate, quâ produ-  
 cit arenam, potest producere cœlum:  
 non plus laborat Deus, ut produ-  
 cat Seraphinum, quàm formicam;  
 Angelum, quàm muscam: non  
 plus laboravit Deus, cùm produxit  
 om-

omnium Angelorum primatem Luciferum, quàm infimum terræ vermiculum. Neque sub operis majori pondere gemit, & sudat; nec minori relevatur, & respirat: omnia, quæ vult, potest; facitque, quidquid vult, solo arbitrio, & voluntate. Nunc ergò hoc modo nobiscum ratiocinemur: tanta est Dei Potentia, quantam jam ostendi, tantaque ejus gloria: quale erit illud opus, quo volvis illam, & potentiam, & gloriam manifestare? Quid enim deerit, quò minus ex omni parte sit absolutum? Non artificis manus, aut industria; potentia est immensa: non prudentia; scientia est infinita: non voluntas; summe bonus est, non opes, aut divitiæ: ab illo uno, omnes illæ procedunt. Quale opus, ex illa officina prodibit! ubi sunt tales architecti, Omnipotentia Patris, sapientia Filii, Bonitas Spiritus Sancti: ubi bonitas vult, & imperat, sapientia ordinat, & disponit? Omnipotentia potest; quidquid vult immensa

Bonitas, & concipit ac ordinat infinita Sapientia. Verè ergò de illâ immensâ Civitate dixit David: *Gloriosa dicta sumi de te &c.* Et D. Prosper: (a) *Illâ Civitas, quæ est Sanctorum, Angelorum, omniumque Electorum congregatione beata, meritis fulgentibus micat, ubi æterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallit quispiam, nec fallitur: unde nullus beatus ejicitur; ubi nullus miser admittitur. Est ibi certa securitas, secunda tranquillitas, felix æternitas, æterna felicitas. Est ibi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, ælacer motus, & onus omnium spiritus. De immensâ quoque felicitate incoherentium illam Civitatem, suaviter more suo D. Bernardus: [b] *Videbit Beatus Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad incunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem; sic cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem.**

a L. 4. de vita contemplativa. b De proem. cœlest. patriæ.

*citatem.* Sed quod felicissimam reddit  
 illam, de qua loquimur, Dei Civita-  
 tem, est jugis illa, ac perennis pax, de  
 quâ loquitur David, agens de cælesti  
 Jerusalem: [ a ] *Qui posuit fines tuos,*  
*pacem.* Quis fando explicet, quanta  
 erit gestientis Animæ jam beatæ læti-  
 tia; dum ingressa jam illam Civita-  
 tem, *cujus fines, Deus posuit pacem,*  
 Deo jam unita, & in centro suo collo-  
 cata, dicet cum Davide: [ b ] *In pace*  
*in idipsum dormiam, & requiescam.*  
 Vocat S. Propheta, *pacem, in idipsum:*  
 id est, immutabilem, ut vult Cassio-  
 dorus, pacem eodem modo semper se  
 habentem, pacem nunquam interrup-  
 ptam, duraturam in omnem æterni-  
 tatem. Tum pax erit æterna, & im-  
 perturbabilis quies, cum ad centrum  
 omnis boni dabitur introitus, & ex-  
 uti mortalitatis exuviis, arctè cum  
 principio nostro jungemur. Hu-  
 jusmodi plenissimam pacem frustra in  
 mundo, atque in hujus vitæ curriculo  
 exspectes, supra cœlos omnes tutum

P 5

sibi

a Psal. 137. 14. b Psal. 4.

fibi , nec mutationibus obnoxium ,  
domicilium consecuta est. Totus hic  
mundus , ut è contrariis qualitatibus  
est compositus , & compactus ; sic tur-  
bulentæ perturbationis materiam  
continuo suggerit, quâ mortalium vi-  
ta propè obruitur. Quot tamen sunt,  
qui malunt incolere hanc luteam ca-  
sam , quàm coelestem Aulam? Tunc il-  
lum sapere contendes , qui càm uni-  
versam domum , optimâ instructam  
suppellectile ; horrea frugibus com-  
pleta , generosos in stabulis equos , ar-  
menta , greges , in prædam Vulcano  
cedere , flammisque consumi , ficcis  
oculis spectasset : ut primum clausâ vi-  
li caveâ rediit in memoriam philome-  
la , etiam igne sublata , cantu suo he-  
rum oblectare solita ; tum demum il-  
lachrymari cœpit , & aviculæ jactu-  
ram deplorare. Insipientem dubio  
procul pronuntiabis. Nam etsi aures  
oblectet suavis philomelæ cantus ; ma-  
gnarum tamen opum possessionem ,  
quis non pluris æstimet ? sed omnes  
propè eandem insanunt insaniam.

Eadem multi sunt mentis hebitudine,  
 quâ Honorium fuisse narrant : Hic  
 post longam urbis obsidionem : cùm  
 intraret quidam, qui illi nuntiaret pe-  
 riisse Romam ; jam ab hoste occupa-  
 tam ; aversâ cogitatione à tanta Regi-  
 nâ urbiutn clade , ingemuit morti u-  
 nius caniculæ , quam Romam appel-  
 labat ; & mortuam credebat annun-  
 tiari. Ridebat ad jacturam potentis-  
 simæ urbis : gemit ad mortem ab-  
 jectissimæ canis. Sic plurimi ejulant,  
 suspirant, mœrent , copiosissimè la-  
 chrymantur ; dum illis eripitur aurum,  
 comburitur tuguriolum, aufertur pal-  
 lium : verbo ut clarius dicam, dum  
 privantur cœno ; exultant, gestiunt,  
 epulantur , tripudiant ; dum privan-  
 tur cœlo. [ a ] Videntur non pauci ma-  
 le feriati insanire non tantùm cum  
 Honorio, sed cum Gallieno. Hic enim  
 turpissimum omnis luxuriæ man-  
 cipium , cùm Romanum tene-  
 ret Imperium , ita libidini fer-  
 viebat , ut cætera omnia posthaberet.

P 6

Cùm

a Fisoa paradoxum fol. 68.

Cum enim ( ait Trebellius Pollio ) ei nuntiatum esset , *Aegyptum* descivisse : dixisse fertur . Quid sine lino *Agyptio* esse non possumus ? Cum autem vastatam *Asiam* , & elementorum concussionibus , & *Schytarum* incursionibus comperisset . Quid , inquit , sine *Apphronitis* esse non possumus ? . Perditâ totâ *Galliâ* , arripisse , ac dixisse prohibetur : Non sine *trabeatis sagis* tuta *Respublica* est ? Heu multos hęc ætas habet *Gallienos* ; eoque etiam turpiores , quò terrâ , cœlum præstantius est . Unus hic opes ; ille delicias , alius dignitates , aut aliud pro libidine , & præterea nil cogitat . Oblectat hoc unicum ; fastidio cætera sunt ; & offendis , si de vitâ quondam in cœlis agendâ ; vel de via , quâ illuc tenditur , vel verbulum . Una propè omnium vox est : *Cœlam* , *cœli Domino* ; *terram autem dedit filiis hominum* . Malunt luteum in terris gurgustiolum , quàm auratum in cœlis palatium . Digni , vel ideò æternum cœlis excludi , quia ipsi omnem de cœlo cogitationem animo excludunt .

Præ-

Præcedat nostrum ad cœlum desiderium, antequam eo inseratur anima: ad illud Regnum prius avidi anhelemus, quàm beati intremus: ut illud, quod tantâ cupiditate desideramus, totâ æternitate possideamus.

## CAPUT IV.

*Homo novus, dum suspicit dotes gloriosæ corporis, despicit suum corpus.*

[a] Hætenus Cœli Empyreï amœnitatem, magnitudinẽ, splendorem fuimus contemplati; superest modò, ut ad ipsos cœlites, qui locum illum æternum incolent, sermonem convertamus. Sumemus exordium à corpore Beatorum: deinde gradum faciemus ad Animam. Quemadmodum ex duabus partibus conflatus est homo: alter, quâ nihil humilius corpore; altera, quâ nil dignius Animâ? ita utraque gloriam in cœlo, gaudiumque suum participabit. Sed quid commercii fœtidæ, & putidæ carni, & in stercorebus desideriorum suorum

P 7

com-

a *Quatuor dotes corporis.*



computrescenti , cū sanctuario cœ-  
lorum ? Caro , quæ in stabulo palo al-  
ligari debebat ; ecce quomodo inter  
Angelos Dei invenitur ? sine, ô Domi-  
ne , pulverem in pulvere ; non enim  
decet sanctuarium tuum ; terram su-  
per cœlos elevari. Sed qui dixit : [a]  
*Benedicam Ismaeli ; augebo , & multi-  
plicabo eum valde ; etiamsi filius ancilla  
sit ;* Idem quoque volet ostendere be-  
nevolentiam , & favorem suum erga  
corpora Sanctorum , propter commu-  
nionem quam habent cum animabus.  
Voluit enim , ut quæ jugum pariter  
cum animabus portârunt ; gloriam  
quoque ; & felicitatem participant.  
Hoc est , quod innuit Per Prophetam :  
[ b ] *Duplicia possidebunt in terra sua ;*  
gloriam scilicet corporis , & animæ. I-  
bi enim denarius dabitur mercena-  
riō ; stipendium militi ; torques vi-  
ctori ; bravium comprehensori ; ami-  
co dona : hæreditas filio ; sponso nu-  
ptialia. Hæc inter erunt quatuor  
corporis dotes ; claritas , impassibili-  
tas ;

a Gen. 17.20. b Psal. 61.7.

tas, agilitas, subtilitas. Ordiamur à prima. Hic observandum, ut doctem illam probè intelligamus; duplici sensu aliquid dici clarum; vel quia pervium est: ita vitrum dicitur clarum, & aqua; aut quia lucidum: sic stella dicitur clara. Corpora Beatorum utroque modo erunt clara, id est, pervia, & lucida. Pervia; sicut ait Gregorius: *Beatorum civium corpora sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent; ita quod uniuscujusque mentem ab alterius oculis, membrorum corpulentia abscondet; sed patebit omnium oculis, ipsa etiam corporis harmonia. Sicque unusquisque erit conspicibilis alteri; sicut nunc non potest esse conspicibilis sibi ipsi: sic ipse.* Itaque præterquam quod exterior pulchritudo corporis rara, & eximia futura sit; ipsa interior, multis hanc partibus superabit, utque ab omnibus conspiciatur, corpus erit diaphanum; sit ut nulla sit futura in corpore vena, nervus, arteria, cartilago, tendo, fibra nulla: cujus pulchri-

chri-

chritudo, & symmetria singulorum oculis non fit futura conspicua, & spectabilis. Secundò; erunt non tantum pervia, sed lucida, & clara. Patet id clarissimè è verbis Christi: [ a ] *Fulgurunt Justi, sicut Sol in regno Patris mei.* Illa autè claritas ab animæ gloriâ promanabit, quæ in corpus ipsum redundabit; adeò ut ipsum lucidum, splendidum, & rutilans redditurum sit. Ecquid erit illud gaudium, tot soles uno in loco collectos intueri? si enim vel unicus Sol, tanto intervallo à terrâ remotus, & nunquam quiescens, tanto perè hominum & recreet oculos, & exhilaret animos, dum splendorem emittit; quantum Deus bone, gaudium erit, millenos, & decies millenos Soles, oculis vicinos contueri! Tanta erit hæc corporum Gloriosorum claritas, ut quidam Theologi dicere non sint veriti; unius tantum corporis Gloriosi splendoret, si de cœlis in terram descenderet, Solem, & stellas ofuscandas, lumenque amissuras. Hæc  
clari-

a Marc. 13.

claritas erit veluti vestis toti corpori: sed vestis, quam nec Seres texunt, nec Tirii inficiunt: vestis, quovis auro intexto, & bombycino elaborato elegantior. Si corporis gloriosi oculis vestris, vel tenuis aspectus occurreret: mihi credite, tantam amoris flammam illa pulchritudo excitaret, ut nil aliud, vel agere, vel spectare liberet, toti præ gaudio, & stupore in eo spectaculo defixi teneremini? Una esset omnium vox, quæ Petri in monte Thabor: *Bonum est nos hic esse.* Secunda dos, est immortalis impassibilitas, vel impassibilis immortalitas. Itaque corpus gloriosum erit immune ab omni malo quantum ad actum, & quantum ad potentiam. Quantum ad actum; quia nulla corruptio, nulla deformitas, nulla infirmitas, debilitas, vel defectus remanebit in eis. Quantum ad potentiam; quia non poterunt aliquid pati, quod sit eis molestum, vel quod in minimo eos possit lædere. Nam fortior non patitur ab imbecilliori. Jam verò nulla Sanctorum corporibus fortior a,

tiora, aut violentiora reperire est: ergò nec minimum quid patientur. De horum autem robore, hoc Apostoli ad Corinthios habemus testimonium: *Sanabitur in corruptione; resurget in incorruptione.* [a] Item illud B. Anselmi, qui ait: *Sanctos in cælo robore Hercules, & Sampsones, superaturos.* [b] tantumque eorum robur & virtutem fore, ut horum minimus, universam hanc mundi machinam concutere, & instar pilæ, loco movere posset. Gloriabatur olim Archimedes se, si pedem extra mundi limites ponere posset; altero terram, quasi globum propulsaturum. Inanis hæc quædam præsumptio fuit: in Sanctis tamen hoc locum habet, quibus vasta hæc orbis machina instar pilæ fit. Cum igitur tanta Sanctorum corporum vis sit & potentia; quid illis nocere queat? si nil illis nocere potest: ergò impossibilia sunt. [c] *Itaque non ampli-*

413

a 1. Corinth. 15. b de similib. c Apoc. 6.

plius esurient, neque sitient; neque cadet  
super eos Sol, nec ullus aestus. Et rursus:  
Non erit luctus, neque clamor, sed nec  
ullus dolor, quia priora transierunt. Imò  
mediis in flammis non ardebunt, in aquis  
non mergentur, nulla machæra Carnificis poterit  
illis caput tollere: nulla manus Tyranni poterit  
vel pilum capiti eripere. Nullam amplius  
habet potestatem in pedes podagra, in manus  
chiragra, in pectus asthma, in ventrem cholica:  
Vigor corporis nullo unquam morbo marcescet;  
sanitas erit integra, & perfecta, pulchritudo  
semper florida, & vivida, nulli corruptioni  
obnoxia. Præter impassibilitatem hanc, & ab  
omni mutatione exemptionem, pollebunt:  
corpora subtilitate quâdam incredibili; cuius  
ope, & adminiculo, quocunque locorum ingredi-  
entur, & egredientur; quin & januas  
violenter, sine ullâ tamen vi perfringent,  
muros penetrabunt, cœlos pertransibunt,  
nulloque impediante instar spirituum, radio-  
rum-

rumque solarium , vitreas fenestras  
 perradiantium , per omnia sese inge-  
 rent. Patet id ex verbis Pauli: *Semi-*  
*natur corpus animale ; surget corpus spi-*  
*ritale ;* quia à spiritibus & Angelis, quo  
 ad subtilitatem nil differet. Ultima  
 dos est, quæ communi nomine agili-  
 tas appellatur : per quam tantâ in cor-  
 pus Anima potestate donabitur , ut il-  
 lud ab uno loco , in alium movere ;  
 imò uno momento è cœlo , in terram  
 descendere ; ab uno mundi cardine  
 discurrere in alterum possint sine ullâ  
 defatigatione , aut labore. Elici hoc è  
 verbis D. Pauli potest : *Seminantur in*  
*infirmitate : surgent in virtute :* Et ra-  
 tio planè convincit , fore hujusmodi  
 corpora ; Nam tarditas , & mora ini-  
 mica sunt spiritui ; atque gloriosa cor-  
 pora , quasi spiritus erunt : ac ideò a-  
 gilia & levia. Pluribus , hæc celeritas  
 è sacræ scripturæ locis adstrui potest ;  
 quæ Animarum motum rebus levif-  
 simis , & moveri facillimis compa-  
 rat. Sapiens eam scintillis comparat :

[a] *Sicut scintilla in arundineto discurrent.* [b] Ezechiel, fulguri; idque in anigmate rotæ, quæ à spiritu impellitur: *Ibant, & revertebantur instar fulguris.* Isaias, avibus, per aëra volantibus: [c] *Assument pennas, sicut aquila; current, & non laborabunt, volabunt & non deficient.* O delicias incredibiles! ignem celeritate, aves velocitate, fulminis alas levitate antevertere. At ne hoc vobis incredibile videatur; similitudine quâdam notius faciam: scenim Cursores illi cœlestes, quos Aristoteles intelligentias, nos sanctiori nomine Angelos appellamus: ad planetarum, orbiumque cœlestium motum, directionemque destinati, viginti quatuor horarum spatio totum orbem obambulent; adeò ut singulis horis, viginti sex passuum millia conficiant; an non credemus gloriosas illas animas, naturales illas, & internas corporum suorum motrices, celeriorrem adhuc ipsis motum impeturas? Ab uno, scilicet, polo, in alterum, eadem

a Sap. 3. b Ezech. 1. c Isa. 4.



dem transferendo; unicoque momento ab uno mundi cardine, in alium devehendo? Angelus, qui Abacuc Prophetam in Babylonem [ a ] è Judæa, quæ quingentorum passuum millibus à se invicem distabant, cæsarie apprehensum, unico momento transvexit, hujusce meæ sententiæ testis, & suffragator erit. Si enim hoc ipse in alterius corpore; quid non Animam in proprium, facturam credendum est? si in corpore adhuc mortali, spisso, crasso, patibili, hoc ille potuit; quid porro hæc Angelis par in gloria, in proprio, & quidem glorioso, beato, spirituali, Divino, faciet? Longius adhuc procedit S. Augustinus, ait namque tantam horum corporum agilitatem fore; ut ipsum Animæ velle, & cogitationem quodammodo præventura sit: [ b ] *Ubi volet spiritus; ibi erit & corpus.* At tamen celeres spiritus, & Animæ motus sunt; ut unico instanti, & desiderio cœlum adeat, &

In-

a Dan. 14. b L. 22. de Civit.

Inferos ; cogitatione Antipodes , spe quoque & ambitione ad columnas usque. Herculeas pertingat , & ubique locorum imaginando peregrinetur. Cùm igitur corpus, eâdem quâ spiritus celeritate, movendum sit , ut Augustinus sensit: credere profectò oportet, magnam ejus celeritatem, & agilitatem fore. Hæc erunt illa exquisita Beatorum decora, quibus corpus donabitur. Quis hæc animo volvens, corpus suum volet impudiciâ contaminare ? quis ei lenocinabitur indulgendo ? Quis non viriliter omnia carnis blandimenta respuat , si cogitet idem aliquando ad tantam gloriam evehendû ? ut loco putredinis, claritas; loco cinerum; gemmæ, loco ægritudinum sanitas, loco brevissimi temporis, æternitas, loco tenebrarum, splendor, loco calamitatum & ærumnarum, felicitas, & gloria, veraque beatitudo successura sint ? Ô beata conditio ! quæ adumbrari quidem , non plene exprimi , aut repræsentari aliquâ, quæ in terris habetur , excellentiâ

-jod

possit ! ô nimia filiorum Adam, & filiarum Evæ cæcitas ! qui ad rerum periturarum comparationem, acquisitionemque, ad botrum uvarum, honoris cujusdam perfectionem, mulieris venustatem, domorum magnitudinem, commodorum desiderium, urbium opulentiam, Provinciarum ubertatem animantur : adeò verò negligentes, tepidi, atque inertes sunt, ut inclytas illas, de quibus differuimus, corporis dotes acquirant. Hirundines, ajunt, nidum suum nunquam ponere in pariete caduco, aut domo ruinam minitante ; & homines tam stolidi sunt, ut ibi & nidum, & quietem suam collocent, ubi cernunt omnia labefactanda, & repentino casu dejicienda, ut amatores suos opprimant, & involvant ? Quàm longè aliter facerent, si fabricam illam corporis sui, tot dotibus honestandam, solidis virtutibus firmarent. Nemo, ut plumbum possideat, aurum perdit. Nemo mavult arundine niti, quàm scipione eburneo. Nemo carbonem eligit, &

the-

thesaurum contemnit. Nemo potius umbram captat, quàm prædam. Nemo optat magis venari ventos, quàm cervos. Nemo Regiam, marmoreamque domum negligit, ut possit habere casam, puerili ludo ex arenis ædificatam. Denique nemo pluris æstimat stillam, quàm fontem; guttam, quàm fluvium; granum, quàm acervum; punctum, quàm circulum. Et nos plumbeas has voluptates aureis illis deliciis; umbras has vanissimorum honorum, illis veris titulis, ventos istos, casas has, istas arenas, stillas, guttas, grana, puncta, certis illis, æternisque gaudiis, quæ ex corporis solius beatitudine, hauriemus, anteferemus? O, si & vana ista, & vera illa; ista fluxa, illa æterna seriò perpendere-remus! perspicuè profectò cerneremus, quàm exigui momenti sint omnia, quæ in terris tam ambitiosè amamus: imò quàm prorsus nihili facienda, si cum coelo, rebusque sempiternis comparentur. Quippe, quidquid fluxum est, transit; quidquid au-

Q

tem

tem transit, postquam transiit, perinde est, ac si nunquam extitisset. Idem enim restat post finem, quod fuit ante initium; ante initium nondum erat; post finem non amplius erit: Nil ergo erit. Eat igitur aliquis cum Salomone, & dicat: [ a ] *Vadam & affluam deliciis, & fruam bonis.* Mox alteram ejus cationem usurpabit, dicens: *Ecce vidi, quod hoc quoque esset vanitas.* Quare, etiamsi quis omnibus mundi voluptatibus perfundatur; & si cum Sardanapalo, in delitiis nateat; cum Cleopatra, in rosis & gemmis coenet, etsi omnibus titulis saluretur; omnibus honoribus afficiatur; omni gloria colatur: omnium vocibus, & sermonibus celebretur; supra omne Imperium & solium evehatur, idque longo tempore, plurimisque annis: si tamen postea vel casu, vel fraude, aut violentiam hostium, vel ipsam morte cogatur hæc omnia deserere; nil supererit ex omnibus, quod eum delectet, aut quod sit loco emolumentum. Quæ cogitatio,

Bo-

a Eccl. 21.

Bononiæ , in primis ferè Dominicanì Ordinis initiis , Virum magnum , clarumque doctrinâ mirè perculit. [ a ] Cùm enim Reginaldus , unus ex præcipuis illius familiæ , magno hominum concursu , & approbatione, Verbum Dei prædicaret ; Monetus ( sic enim ipse appellabatur ) de industria illius congressum , & sermonem fugere consueverat , multum sibi ab eo metuens, tamen in Stephani Martyris natali , ad ejus Concionem , comitum importunitate pertactus , primis statim verbis captus est , cùm illam vocem exponeret : *Ecce video cælos apertos.* Ita enim differebat : nunc quidem cæli portas ad beatitudinem patere , ita ut quivis ingredi posset ; qui autem negligentes essent , & Deo cor suum clauderent , iis vicissim cælos claudi , ut deinde intrare non possint, nec pluribus opus fuit : statim enim corde immutato, qui ad eam horâ tam alienus fuerat à Religione , Religionis voluntatem concepit: finitâ Concione

Q 2

Regi-

a *Platus l. 3. c. 38.*

Reginaldum adiit, animum suum exposuit, eumque voti etiam vinculo confirmavit. Ecce, quisquis hæc legis, & ipse nunc dicere cum Protomartyre potes: *Ecce video cælos*. Video non oculis illis crassioribus corporis, sed acutioribus mentis: fide, quæ infusa est in fonte Baptismatis; *video cælos apertos*. Cuilibet jam cælum patet; nullus, dum spirat, spe intrandi excluditur. Contendite omnes intrare, antequam claudatur. Non intratur in Regnum gloriæ, nisi per januam pœnitentiæ. Non tenditur ad illud Regnum per viam latam superbiæ, luxuriæ, invidiæ, socordiæ, [a] sed per angustam Humilitatis, Paupertatis, Pudicitia. Festinate, quoniam tempus breve est. Erit, quando cælum, quod nunc tibi patet, claudetur, nisi festines intrare, dum patet: audies, quod fatuæ illæ virgines: *Clausæ est janua*. Tunc dices, non ut Stephanus: *Ecce, video cælos apertos*; sed, *Ecce video cælos clausos*. Primo momento,

quo

a Matth. 25.

quo mors tibi claudit oculos , si Dei fueris inimicus, clauditur tibi cœlum: frustra tunc ex averni antro pulsabis suspiriis, gemitibus, ejulatibus ad fores cœli: audies triste illud; *Clausâ est janua.* Pulsa iterum post mille annorum myriades, post infinita sæculorum curricula; iterum audies: *Clausâ est janua.* Claudio & ego cum D. Bernardo. [ a ] *Quid ergo istud est negligentia? quid pigritia? imò, quid vecordia est, ut non crebris suspiriis & ferventissimâ affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus?*

## CAPUT V.

*Homo novus, dum convertit oculos, ut videat Beatorum oculorum voluptatem, avertit oculos, ne videat vanitatem.*

**E**Xposuimus partem beatitudinis, quæ ex animâ redundat in corpus; dum quatuor ejus dotes exquisitissimas, quibus pollebit, explicavimus:

Q<sup>3</sup>

nunc

a Serm. 5. de omnib. his.



nunc de gaudiis, quibus quinque sensus redundabunt, differemus. Ab oculis ducemus principium, quia inter sensus tenent principatum. Tantæ erunt perfectionis oculi, ut nihil eorum organum vel in minimo possit perturbare. Hæ porrò, erunt visus perfectionis. [ a ] Primò, Corpora omnia videndo penetrabit Beatus quilibet, seque etiam interius æquè facile, atque exterius usque ad ipsam totius corporis harmoniam, perspiciet. Secundo, eadem facilitate videbit remotissima quæque ac proxima, minima uti maxima, se ipsum sicut cætera. Tertio, eodem corporis situ permanente, æque videbit retrò, quam ante se; non vertendo se, vel semel movendo: imo videbit, quæ sunt supra se, non levando oculos; quæ sunt infra, non declinando eos. Quarto, videbit diversa objecta, & quasi infinitos radios, tanquam unum, vel quasi unitos. Et quod est præ omnibus admirandum,

a *Busto serm. T.2.503.*

dum, æquè videbit oculis clausis, atque apertis. Si enim oculi Beatorum visuri sunt ultra densissimos parietes, ahenos muros, & vastissimos montes; omnia corpora quantumvis densa, & opaca penetraturi; multò minus palpebræ, seu membrana illa tenuis, quæ oculis oppanditur, quæ etiam ipsa gloria donabitur, impediet oculos, quo minus omnia videat. Hæc de facilitate, & modo, quo videbit; jam objecta ipsa, in quæ videndo tendet, & tendendo delectabitur in lucem proferamus. In primis, supra modum oculos oblectabit incredibilis ille ornat<sup>9</sup>, splendidissima illa magnificentia loci, quem incolunt, nimirum, ipsum Cælum Emphyreum. Itaque, ut jam compendio perstringamus omnia objecta, quibus oculi delectabuntur; Videbit Beatus oculis corporis fluvium illum vitæ electo puriorem, atque instar crystalli pellucidum, gyros pulcherrimos, ac mandros in vastâ illâ cælorum planitie facientem, fontesque hinc

inde salientes. Videbit totum orbem inferiorem ; nam licet convexum sui cœli Empyreï , quod calcat ingentis, ac propè immensæ sit spissitudinis, & solidissimum , est tamen summè transparent. Videbit totam terram , & omnia, quæ in ea geruntur , cognoscat, præter cogitationes hominum liberas. Videbit Infernum , omnesque damnatos ; denique totius terræ sinum , & à centro emergens , videbit Antipodes , & quidquid in altero Hemispherio, usque ad Empyreū inferior orbis continet. Sed quale concipient gaudium ex aspectu propè innumerabilium Angelorum? Est admodum vero simile, Angelos assumpturos corpora speciosissima ex aëre , quibus pascant oculos Beatorum, ut ab iis videri , & cum iis colloqui possint : quæ sententia est D. Anselmi in suo Elucidario, & aliorum. Jam vel unius Angeli pulchritudo superat omnem omnium hominum, qui unquã fuerunt , vel erunt pulchritudines simul conflatas. Sed ex re aliâ nullâ , plus gaudii & voluptatis percipient,

ent,

ent, quàm ex gloriosissimo, & ter adorando Christi Corpore. In illud omnium oculi, atque ora potissimum convertentur. [a] Et si verum est, quod quidam existimant; Crucem Christi Domini in cælis totâ æternitate conservandam; imò, ut aliis placet; omnia signa Passionis Christi Domini; quantum Divina illa spectacula, & præclarissima redemptionis nostræ instrumenta, oculos omnium recreabunt! sed quid volo, dicendo profequi, oblectamenta oculorum, quæ oculus non vidit? O verè. [b] *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis!* Quis, ut illa aliquando videat, quæ hîc à Beatis videnda proposuimus, nolit quævis hîc & facere & pati? plenæ sunt gentium historiæ admirandis in omni malorum tolerantiam pro honore, pro aurâ populari, pro auro, pro impudicis amoribus. Igitur, (ut optimè argumentatur Tertullianus) [c] *Si tanti vitrum; quanti verum margaritum.* Quis

non

a Fabri T. 3. 773. b Luc. 10. 23. c L. ad Martyr.

non libentissimè tantùm pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso? Confundemur, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem. Scilicet lutei, & sordidi, lutum, & cœnum; cælo, & Deo præferimus. Egregiè ad rem nostram S. Augustinus: [a] Secari & uri se sinunt homines; ut dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. Immaniſſimis bellis miles atteritur; pluribus fortasse annis in laboribus inquietus; quàm in otio quietus. Quibus tempeſtatibus, & procellis, quàm horribili, & tremendâ ſevitiâ cæli & maris, impleti sunt mercatores, ut divitias ventosas & perituras acquirant, majoribus quàm, quibus acquisita sunt periculis, & tempeſtatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à fossis, & præcipitiis, à fluminibus, & à feris perferunt Venatores? Quem laborem esuriendi,

& sitiendi, ut feram capiant? Quantis,  
& jam in scholis vigiliarum, & absti-  
nentiā molestius exercentur; non propter  
discendam sapientiam, sed propter opes,  
honoresque vanitatis: qui hac amant,  
non gravia pati videntur; omnia enim  
sæva & immania prorsus, facilia, &  
propè nulla facit amor. Quanto ergò  
facilius, ac certius ad veram beatitudi-  
nem Charitas facit, quod ad miseriam  
cupiditas fecit? Quàm facile toleratur  
quævis adversitas temporalis; ut æterna  
pœna vitetur, ut æterna requies compa-  
ratur: Hæc Augustinus. Certum id est,  
non tantum laboris à nobis exigere  
Deum pro cælo, quantum dæmon pro  
orco. Plus citra comparationem la-  
borant impii, ut pereant, & salute ex-  
cidant, quàm Justī, ut salutem conse-  
quantur. Reperiuntur, qui plus o-  
peræ impendunt, ut excolant suum  
fundum, agrum, hortum, quàm ut  
obtineant cælum. Imò sunt, qui ita  
immersi sunt hisce fluxis, ac caducis  
rebus; ut parati sint credere omnī jure,  
quod

quod habent ad cælum, si modò velit Deus illis perpetuò indulgere usuram rerum perituram. Talis repertus est nostro sæculo in Italia nobilis quidam, qui juxta Florentiam hortum habebat suburbanum, perquam amænum, tam fœcundum fructibus, quam jucundum floribus; diceres Floram ipsam, illic sedem collocasse. Eò Nobilis hic animi relaxandi causâ, fessus curarum, ex urbe, tanquam è fluctibus ad portum sese conferebat. Hic cum die quodam cum uno è Patribus nostris per virentes horti ridentis semitas lætus, & alacer obambulet: Pater, ex loci amænitate mentionem injecit cœlestis Paradisi, [ a ] cumque ei conaretur suadere, illū locum citra ullam comparationem esse & jucundiores oculis, & gratiores animis, plusque deliciarum uno momento, quàm pluribus sæculis ex horto suo, illic eum percepturum. Itaenē verò, inquit alter, ficcine de cœlesti paradiso sentis? cœcæ hæ sunt tuæ conjecturæ:

cœ-

a *Le petit Mirofans flater 23.*

cœcus de coloribus judicas, dum hæc de cælo pronuntias. Quod ad me at-  
tinet, si Deus pro mercede omnium  
honorum operum, quæ unquam præ-  
stiti; vel præstabo olim, velit mihi to-  
tâ æternitate indulgere hunc meum,  
quo fruor, hortum; næ ego libens  
concederem ipsi suum cælum; & re-  
nuntiarem omnibus cœli delitiis. Has  
blasphemias; & incæsto ore prolatas  
voces, Pater acriter reprehendit, eum-  
que impietatis in loquendo insimula-  
vit. Sed non tardus fuit in vindican-  
do Deus. Nam cum paulò post ex-  
horto ad palatium se conferret; ecce  
tibi è ponte, ubi transibat; præceps  
corrui; fractaque cervice, miserè ex-  
piravit; sine ullo animi dolentis ar-  
gumento. Ita miser, & hortum ami-  
sit, nec cælum acquisivit. O curvas  
in terram animas; & cælestium ina-  
nes? Rem acu tetigit, dum hæc verba  
protulit D. Gregorius: [a] Omnes,  
ait, *hujus sæculi dilectores, in terrenis  
rebus fortes sunt, in cælestibus autem  
debiles:*

R

debiles:

a Dist. c. omnes.



debiles : nam pro temporaligloria desu-  
 dare usque ad mortem appetunt, & pro  
 perpetuâ, nec parum quidem in labore  
 subsistunt : pro terrenis lucris, quaslibet  
 tolerant injurias ; & pro caelesti merce-  
 de vel tenuissimi verbi contumelias fer-  
 re recusant. Terreno judici, toto etiam  
 die assistere, fortes sunt : in oratione ve-  
 rò coram Domino, vel unius hora mo-  
 mento lassantur. Sapè nuditatem, de-  
 jectionem, famemque pro acquirendis  
 divitiis, atque honoribus tolerant : su-  
 perna autem laboriosè tantò magis qua-  
 rere dissimulant, quantò ea tribui tar-  
 dius putant. Hæc ille. Contra ve-  
 rò, qui oculos defigunt in cælum ;  
 terrena ad tempus negligunt posside-  
 re, ut valeant cælestibus sine fine gau-  
 dere : non curant hîc omnibus tor-  
 mentis affici, ut possint ibi Divinâ vi-  
 sione refici. Omnia patienter tole-  
 rant, quia cælum impatienter deside-  
 rant. Hoc igitur patiat, ut tali glo-  
 riâ potiatur : ferat, ut ad illam se con-  
 ferat : subeat tormenta, aut transeat ad  
 oblectamenta. Unde Augustinus ad u-  
 num

numquemque nostrum. [ a ] *Tolera ,  
quod non vis , ut assequaris , quod vis.*  
Satius enim est hîc modicâ miserîâ e-  
mere æternam felicitatem ; quàm mo-  
dicâ felicitate , voluptate præsentî e-  
mere æternam miseriam.

## CAPUT VI.

*Homo novus , dum reliquas cogitat Bea-  
torum voluptates ex reliquis sensi-  
bus , censet se fuisse hætenus  
insensatum.*

DE oculis, five de sensu visus, abun-  
dè dictum est in priore capite. Ex-  
pediamus reliquorum sensuum singu-  
lares, quibus perfundentur volupta-  
tes. Trahit me in odorem unguen-  
torum suorum cælestis paradisus,  
quem indubiè exhalabunt, in illis Eli-  
siis hortis, lilia, rosæ, violæ, narcis-  
ci. Itaque, quod attinet ad olfactum,  
perfundetur absque dubio fragrantis-  
simis odoribus, quos corpora Bea-  
torum suavissimè spirabunt; ac præ-  
sertim sacratissimæ humanitatis  
Christi, & Beatæ Virginis; utpotè,  
a In Ps. 79. R 2 quæ

quæ in ipso suo in cælum ascensu, am-  
brofiâ suavissimi odoris complevit to-  
tum cælum : unde stupefacti cælestes  
genii tantâ odoris perfusi fragrantia  
clamabant : [ a ] *Quæ est ista, quæ a-  
scendit per desertum, sicut virgula su-  
mi, ex aromatibus myrrha, & thuris,  
& universi pulveris pigmentarii? Quod  
si corpora Sanctorum in sepulchris in-  
venta, summam exhalaverint odoris  
suavitatem, nondum glorificata vel  
immutata; qualem odorem effudent,  
excocta jam solis increati ardore, o-  
mni putredine? si tantum corpora;  
quantum animæ ex se effudent odo-  
rem? [ b ] Meritò de iis dictum est ab  
Oseâ: *Sancti tui, Domine, florebut ut  
lilium; & sicut odor balsami erunt ante  
te.* Si tam gratus fusus sit odor Beato-  
rum; qualis erit ipsius Christi? qui de  
se ipso dicit: [ c ] *Sicut cinamomum, &  
balsamum aromatizans, odorem dedi:  
quasi myrrha electa dedi suavitatem o-  
doris.* Similiter & gustus erit plenus  
incredibili sapore, & dulcedine, & sa-  
tietate*

a Cant. 3. b C. 14. c Eccl. 24.

tietate quadam, & refectione cælesti  
 oblectabitur : idque ob qualitatem  
 quandam inhærentem, quæ non sele-  
 ctissimorum modò ciborum; sed & o-  
 mnium, quæ fingi, cogitari, credi-  
 que possunt, rerum saporem contine-  
 bit. Hic ergò sensus gustandi suam ha-  
 bebbit voluptatem non in perceptione  
 cibi, & potus; sed humoris cujusdam  
 suavissimi, qui linguam, palatum, &  
 interiora imbuet. Hic humor prove-  
 niet, partim ex optimo temperamen-  
 to : si enim homo boni temperamen-  
 ti & planè sanus, suaviter afficitur lin-  
 guâ & palato, etiam jejunos; quantò  
 suavius ibi afficietur, ubi tempera-  
 mentum erit perfectissimum? partim  
 ex aliquo fortè cælesti liquore divini-  
 tus infuso : quem credibile est etiam  
 per stomachum, cæteraque interiora,  
 diffundendum. Neque enim frustra  
 de Beatis canit David : [ a ] *Inebria-  
 buntur ab ubertate domus tuæ; & tor-  
 rente voluptatis potabis eos.* Sensus tan-  
 gendi, suam voluptatem percipiet;

R 3

tunc

a Psalm. 35.

tum ex aura cælesti, & cælestis corporis attactu, tum ex intimo sensu optimi temperamentis: homo enim perfecte sanus, ipsam corporis bonam constitutionem in se suaviter sentit. Hujus voluptas erit longè maxima; quia cum tactus sit toto corpore diffusus, purissimis quoque, sanctissimisque delitiis circumfluat. Imo ex mente celeberrimi Scriptoris Granatensis: Tactus in mutuo pacis osculo, ipsius Dei Incarnati, & Sanctorum, summè delectabitur. Prò nimia cæcitas non credentium, vel credere nolentium, majores Deum sibi, & Electis non reservasse delicias ac voluptates, quàm animalibus reservârit. Sciant porrò tantum inter cælestes, & omnes simul terrenas voluptates, tam præsentis, præteritis, quàm futuras discrimen esse, quantum inter Animam, & corpus, naturam, & gratiam, brutum pecus, & Seraphinum; tempus, & æternitatem. Superest ultimus sensus, Auditus. Itaque aures sine intermissione audient ineffabilis illius musicæ  
con-

concentum & harmoniam ; cuius vox una satis est ad omnium hominum animos incredibili voluptate perfundendos. Sonant enim ibi semper , ut ait B. August. melliflua Hymnorum organa. Tunc complebitur illud, quod scribit S. Joan. [ a ] Post hæc , audivi quasi vocem tubarum multarum in cælo dicentium Alleluja : Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus ; & qui timetis Deum ; pusilli & magni. Et audivi vocem quasi turbae magnæ : & sicut vocem aquarum multarum ; & sicut vocem tonitruorum magnorum , dicentium Alleluja ; quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens ; gaudeamus , & exultemus , & demus gloriam ei ; quia venerunt nuptia Agni. Illic ( ut docent quidam Theologi ) [ b ] quilibet Sanctus cantabat propriâ , & singulari voce ; quæ ab omnibus & singulis audietur , & discernetur. Innuvit id David : [ c ] Exultabunt Sancti in gloria , letabuntur in cubilibus suis ; exaltationes Dei in gutture ec-

R 4

rum. Ex-

a Apoc. 19. 6. b Busto T. 2. serm. 504.  
c Psal. 149.

*Exaltationes Dei*, vocat laudes, quibus Deum extollent, immensam ejus excellentiam, omniaque opera magnifica commemorando. Has, ait, fore *in gutture eorum*: non ergo solum in animo, nec solum cogitatione Deum laudabunt; sed & voce (a) Itaque dubitandum non est, fore ibi cantum vocalem: Ita Lessius. Quia cum homo corpore, & animo consistet; oportet, ut non solum animo, sed & corpore serviat. Servitus autem Dei consistit in laude, & gratiarum actione, praesertim in patriâ, ubi omnia opera poenitentiae, & misericordiae cessant. Accedit, quod ex magno amore, & intenso gaudio homo naturaliter incitatur ad cantandum, ut experientia constat. Interna enim suavitas mentis, dum ex parte superiore redundat in inferiorem, etiam per corporis instrumenta se prodit foris. Quare cum sancti sint Divino amore inflammati, & gaudio undequaque plenissimi, impensissimè ab intrinseco ad Divinas lau-

a *De summo bono l.3.c.8.fol.524.*

laudes tantum celebrandas incitantur. Unde S. Gregorius explicans versiculum illum, c. 8. Job : [ a ] *Donec Impleatur os tuum. Benè os risu impleri dicitur, & labia júbilo : quia in illa æterna patria, cùm Justorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis elevatur.* De eadem re D. Augustinus. *Omne opus eorum, laus Dei, sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ego, & verè in æternum felix ! si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa Cantica cœlestis melodia, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ patriæ civibus, Beatorumque spirituum agminibus ? fortunatus ego, nimiumque beatus ! si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo ? Quisque ibi canit laudes Divinas modo sibi accomodato: Angeli, voce spiritali ; homines etiam corporali. Quanta verò futura fit voluptas cœlestis illius musicæ, ex humani cantus suavitate proclivè est conjicere ; quæ interdum tanta est, ut cùm excellens aliqua vox conjungitur*  
*a L. 8. Mor. c. 31. 1. R 5 cytha-*



cytharæ, aut testudini) animum quasi à corpore abducatur; & homo vix ferre possit ob nimiam cordis delectationem ars musica, dulce laborum solamen, quantum humanas afficiat mentes? illi maximè experiuntur, qui sonos ingeniosè attemperatos, aurium delicias norunt æstimare. Sed ausim dicere; si phonsi hic omnes, & quotquot in terris scientes sunt musices, conferantur ad cælestes Aulædos, stridulæ cicadæ, raucum aliquid & insulsum murmurantes videbuntur. Fingete, modulatas avium voces audire; ex omnes ad illam cælestis musicæ suavitatem fordebunt. Puta nervos, chordasque testudinum sonare, plorabunt. Cogita liquidi gutturis, artisque musicam promitti; huic qualicumque musicæ, simul ac alteram illam tu opposueris ocus, & Bysthoniam testudinem cessare, & Lesbyam cytharam faceffere, & pertæsus tacere Amphionis lyram jubebis. Digni erunt cælestis illius concentus musicam percipere, quorum aures

res apertæ sunt, & largissime patent  
audiendo verbo Dei, Spiritus sancti  
afflatibus ac instinctibus, Angeli tu-  
telaris inspirationibus, piis monitis,  
salubribus consiliis: clausæ verò sunt,  
dum cum Atheniensibus aliqui, de  
umbrâ asini, & puerilibus nugis, & a-  
nilibus fabulis, ossutiis; & affaniis  
longos sermones texunt; sunt aliqui  
eo impietatis prolapsi, ut frustra illis  
inter vitia sua, & delitias sepultis, lo-  
quatur Ecclesiastes, in Templo; An-  
gelus, in conscientia; Deus, in men-  
te: surdi sunt. Lubet rem hanc pla-  
nius exponere, fufiusque. Cosmogra-  
phi tradunt quosdam Nili accolas,  
planè surdos esse, propter continuum  
fragorem, & vehementem impetum,  
quo fluvius ille de altissimis monti-  
bus se præcipitat: obtusæ semper ma-  
gno strepitu aures, denique surdes-  
cunt. Et mundus iste, nunquid tor-  
rens est? Nunquid impetuoso Nilo si-  
mile flumen? Nunquid & procellosum  
est mare? O quanti in hoc pelago flu-  
ctus curarum! quot undæ sollicita-

dinum ? quanti strepitus affectuum !  
quanti clamores & vociferationes plo-  
rantium, cachinantium, negotian-  
tium, fabricantium, ludentium, bac-  
chantium ! atque hæc causa est, cur  
impius quisque, ac sceleratus de alte-  
ro mundo, alterâque vitâ, aut non au-  
diat, aut non fructu percipiat ; quia  
totus ejus absorptus est animus, in re  
familiari benè administrandâ, in sani-  
tate conservandâ, in lucro faciendâ, in  
locupletandis liberis, & sexcentis aliis  
hujus sæculi negotiis ? Demum hic  
mundi strepitus est ? quo multorum  
inter flagitia sua, ita aures obtundun-  
tur, ut surdi fiant, nec admittant am-  
plius pia : & salubria suadentium con-  
silia : sic non pauci surdi fiunt ex con-  
sceleratis hominibus, ad conscientia-  
e suæ domesticas exprobrationes, ad cla-  
mores Ecclesiæ, ad severa Numina  
ipsius, & frequentata monita. Ajunt  
quidem, pro pallio continuandæ im-  
pietatis affirmant ; cùm olim ad ex-  
trema ventum fuerit, & utramque au-  
rem latissimè aperturos, salutaria di-  
ctu-

cturis, conscientiæ, sacerdoti, Deo:  
falluntur illi plerique, qui multo tem-  
pore, multisque annis inter vitia &  
cupiditates suas obsurduerunt; etiam  
sub mortem, nullis cohortationibus  
ad resipiscentiam possunt promoveri.  
Non est, ut sperent illi, se audituros  
illud Divinum in cœlesti Odeo, Alle-  
luja. Quod, ut percipiatis, audite  
nunc Verbum Dei; auditum observa-  
te: *Beati enim, qui audiunt verbum Dei,  
& custodiunt illud.*

## CAPUT VII.

*Exuberans gaudiorum copia, ex mutuo  
Beatorum aspectu, & gloriâ.*

SI quis expetat ex hâc valle lachry-  
marum habere spongiam, quâ ab-  
stergat ab oculis suis omnem lachry-  
mam, is hodie mecum oculos non in  
altum attollat ad sublime cœli Am-  
phiteatrum; sed convertat ad nobile  
illud patientiæ theatrum, ad Jobi ster-  
quilinium. Si rectè expendas, quæ  
audies verba in hoc sterquilinio, ter-  
rena omnia cum Paulo, arbitraberis

ut stercora. Job verè monstrum patientiæ : cùm jaceret in olido fimeto, tanquam spectaculum humanæ miseriæ ; velletque suum in extremis ærumnis lenire mærorem, quin & aliorum omnium in quavis calamitate mitigare dolorem ; voluit verba quædam arcana exprimere, quæ ad omnem omnium sæculorum memoriam perennarent. Audite loquentem : *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Quis mihi tribuat, inquit? sed quid vis tibi tribui? quæ est petitio tuâ? ut scribantur sermones mei.* Ad eam inopiam redactus sum, ut etiam tegula, in qua scribam, mihi non suppetat ; contorti digiti, compressæ manus, frigore tremulæ, & ulceribus plenæ. Optarem tamen ad solatium breves sermones litteris commendare. Aderit utique, qui scribat. Quid superest? papyrus. Ecce charta papyracea, sed parcite quæso : defertur

ratur membrana, pergamena ? nam charta papyracea deletur facilè, & frangitur. *Exarentur in libro.* Concedimus perlubenter, cedo librum: scribe, quæ lubet. Absit, nollem tanti momenti verba, & digna cedro, exarare in libro, qui putrefactioni, & tinearum edacitati obnoxius est. Erit fortasse plumbum extensum per modum pergamenæ, cui verba mea perenniter imprimantur? Aderit: *stylo ferreo, & plumbi lamina.* Verùm, nec plumbum mihi placet, quia potest igne solvi, & liquefieri. Aliud posco, quod sit ære perenniùs. Ecce filicem? placet: *Vel celtæ sculpantur in silice.* Habes ad manum filicem, filemus, ut verba à te exaranda percipiamus: Scio, inquit, quod Redemptor meus vivit; & in novissimo die de terrâ resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ; & in carne meâ videbo D E U M Salvatorem meum, &c. *reposita est hac spes mea in sinu meo.* Quasi dicat: Hæc spes sola videndi aliquando oculis meis

meis Salvatoreme meum ? jam nunc  
 & animum extremè afflicto, & cor-  
 pus tot ulceribus plenum, tanto unde-  
 quaque perfundit gaudio; ut omnis  
 mihi calamitas vertatur in solatium;  
 omnis afflictio, in lætitiã: multo-  
 que mihi acceptius sit, jacere in hoc  
 sterquilinio, quàm sedere in solio. Hic  
 ergo vos jam paucis expendite: si spes  
 adhuc tenuis, & obscura illius gloriæ,  
 quam à longè prospexit Job mille re-  
 trò annis, tolerabilia, imò facilia; ne  
 dicam, jucunda reddiderit, nudita-  
 tem, morbos, ulcus pessimum, ignem  
 sacrum, lepram, scabiem, elephan-  
 tiasim, dolorem articulareme, viscera  
 putrida, apostema, gravem halitum,  
 uxorem stultam, dæmonem, infami-  
 am, probrum, & sterquilinium, in  
 paradisi speciem converterit; si, in-  
 quam, tantum potuerit sola spes Chri-  
 stum videndi? quid erit re ipsâ, & il-  
 lius conspectu frui, & totâ, quæ in-  
 finita est, beatitudine potiri? [a] *Ubi*  
*erit* (ait Gregorius) *lux, sine defectu;*

a In Psal. 7.

gan-

gaudium, sine gemitu, desiderium, sine  
pœnâ; amor sine tristitiâ; satietas, sine  
fastidio; sospitas, sine vitio; vita sine  
morte; salus, sine languore. Ubi (ait  
Augustinus) Rex, est veritas; lex, cha-  
ritas; dignitas, æquitas; pax, felicitas;  
vita aternitas? Ubi (ait S. Bernardus)  
premium est videre Deum, vivere cum  
Deo; vivere de Deo; esse cum Deo, esse in  
Deo, qui erit omnia in omnibus. Nos  
more nostro, ex immenso illo delitia-  
rum Oceano, stillas aliquas delibe-  
mus; expendendo quantum futurum  
sit gaudium, ex beatissima illâ Beato-  
rum omnium tum hominum, tum  
Angelorum societate. Plurimum con-  
fert ad solatium, plurimos esse, qui  
soluti suppeditent argumentum.  
Nunc autem quanta sit futura Beato-  
rum se invicem, summo cum gaudio  
contuentium multitudo, expendamus.  
Inchoamus ab Angelis. Proditur 4.  
lib. Revelat. S. Brigittæ, Deiparam  
dixisse D. Brigittæ, tantum esse nume-  
rum Beatorum spirituum Angelico-  
rum; ut si computarentur omnes ho-  
mi-



mines, ab Adam, usque ad ultimum in fine mundi nasciturum, possent unicuique homini deputari ad minus decem Angeli. [a] D. Dionysius Areopagita dicit: *Tantum esse numerum Angelorum, ut soli Deo sit cognitus*, [b] S. Ambrosius dicit, *homines esse centesimam tantum partem numeri Angelorum; & quatuor superiores Ordines, Dominaciones, Thronos, Cherubinos & Seraphinos, longè esse numerosiores quinque Ordinibus inferioribus*. [c] Suares dicit, *numerum Angelorum, respectu hominum dici posse infinitum, & innumerabilem*. Albertinus dicit, *Archangelos eodem excessu superare Angelos, quo ipsi superant homines: Ergo cum teste D. Brigittâ, (cujus Revelationem maximi æstimat Vasques) pro uno homine, decem Angeli dari possint; eodem excessu, dabuntur pro uno homine centum Archangeli, mille Principes, decem millia Potestatum, centum millia Virtutum, millio Dominatio-*

num,

a *Celest. Hierar. c. 13. & 14.* b *Ambros. in Luc. c. 15.* c *Suar. l. de Ang. nat. c. 11. n. 3*

num, decem milliones Thronorum,  
centum milliones Cherubinorum,  
mille milliones Seraphinorum. Quod  
& S. Thomas apertè docet, dicens, tan-  
tò magis in unoquoque Ordine mul-  
tiplicari Angelorum numerum; quan-  
tò Ordo ipse altior est & præstantior.  
Unde meritò interrogat Job: [a] *Nun-  
quid est numerus militum ejus ?* quasi  
dicat innumerabiles esse. Jam verò est  
valdè credibile, quod docent novissi-  
mi Auctores: [a] *Angelos omnes in cæ-  
lo assumpturos corpora speciosa ex athe-  
re, quibus pascant oculos Beatorum; ut  
ab illis videri, & ore ad os loqui possint.*  
Hoc enim videtur poscere amicitia, &  
arctissima unio & communicatio; quæ  
erit inter Angelos & homines Beatos,  
quasi concives cæli: aliàs etiam sensus  
Beatorum nullum ex Angelis recipe-  
rent gaudium; imò in nulla re cum  
illis communicarent: itaque inter An-  
gelos & Beatos tantum esset commu-  
nicatio quoad mentem, non quoad  
corpus.

a Cap. 25.

corpus. Quod si ita est, Deus immortalis ! quale erit gaudium, tot immensæ pulchritudinis spiritus intueri, alloqui, cum illis conversari? Refert Serarius, de quodam Architecto, (a) quicum Erfordia erigeret Chartusiam, Angelum specie juvenis conspexisse, tantâ elegantia, & pulchritudine; ut diceret se alterius oculi jacturam libenter facturum, si eum iteratò semel duntaxat conspiciari posset. Si quis posset vel Angelum videre unum; cum eo loqui; audire illum de arcanis, & sublimibus rebus magnificè differentem; intueri illius vultum pulchritudine mirabili formosum: vim mentis penetrare, & acervos perfectionum, magnaue illa intellectus, ac voluntatis ejus decora, sanctimoniamque augustam, quantis gaudiis colliquesceret? Et dubitemus, quin Beatus splendidissimo illo theatro omnium Angelorum incredibiliter capiatur? sanè, cum oculos conjicient in illam tam illustrem Beatorum societatem, in qua, ut à S. Basilio verba mutuer:

a *A Lap. Prop. Major. 289.*

[a]

[a] Sunt Angelorum miriades, festi primorum parentum confessus; Apostolorum throni; honorati Prophetarum conventus; Regia Patriarcharum sceptrum; corona Martyrum; Justorum omnium laudes in commune triumphantium; Vix tenere se poterunt, quin exclament atque gestiant. Socrates, brevi moriturus, singulari gaudio afficiebatur; cum se diceret pergere ad Heroas, ad semi Deos; ad optimos viros antiquitatis, cum quibus in æternam agitaturum se ævum agebat. Quod si cuilibet arbitrarium esset, cum quibus vellet colloqui, indubiè quisque suæ artis Actorem, vel in eâ maximè præcellentem vellet alloqui? Philosophi, Aristotelem, Mathematici, Archimedem; Oratores, Tullium; Pictores, Apellem; Medici, Hipocratem; Jurisperiti, Justinianum; Milites Alexandrum, aut Cæsarem; & optarent videre & cuperent alloqui: maximâ afficerentur voluptate, posse eorum frui & conspectu, & societate. Quale ergo erit

a Exhort. ad Rapt.

rit gaudium, posse familiarissimè sermocinari cum magnis illis antiquæ Legis Heroibus, Adamo, Noë, Abraham, Jacob, Joseph? cum illis, Divino Spiritu olim affatis vatibus, Isaiâ, Jeremiâ, Ezechiele, David, &c. cum inclytis Regibus, Davide, Ezechiâ, Josaphato, Manasse: cum honorato Apostolorum senatu, cum Petro, Paulo, Joanne: cum Augustino, Hieronymo, Chrysofomo, Gregorio; quorum & sanctimoniam veneratur, & scientiam admiratur tota posteritas. Nec tantum gaudebunt mutuo conspectu; sed & colloquio. Hic jam magna est controversia in scholis Theologorum? quo idiomate Beati se mutuo alloquuntur, an Latino? an Græco? an Syriaco? Memini, me aliquando legisse in quodam impertinenti Thesuro Theologicarum, usus Beatos in cælo idiomate Hiberno: sed nemo miretur impertinentia poni in impertinenti. Sunt, qui existimant, quemque locuturum suo idiomate, sibi vernaculo; ut omnium gentium linguis Deus laudetur.

tur.

tur. Rem prodigio simillimam, quæ sententiam nostram confirmat, refert S. Gregorius: [a] Puer quidam armentarius, hâc vitâ prius defunctus, deinde eidem restitutus, Dominum suum vocari iussit; cui ait: ego in cælo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnovi: Ille, ille, atque ille morituri sunt, &c. Ut autem scias, quod me in cælo fuisse verum fateor; Ecce accepi illic, ut linguis omnium loquar. Nunquid tibi incognitum fuit, quod Græcam linguam omnino non nossem, & tamen Græcè loquar, ut cognoscatis, an verum sit, quod me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græcè Dominus suus locutus est; atque ita ille in eadem lingua respondit; ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eadem domo habitabat quidam Bulgarus, qui ad hunc puerum deductus, Bulgaricâ linguâ locutus est. Sed ita puer ille, cum esset Italus natione, Bulgaricâ locutione respondit, ac si natione fuisset Bulgaricus? Ex duarum ergò lin-

a l. 4. Dialog. c. 26.

linguarum experimento crediderunt eum, uti fatebatur, fuisse in cælo: ita D. Gregorius. Tametsi non constet ex Divinis oraculis, quo idiomate; Beati se invicem, ut plurimum sint allocuturi; tamen rationi conformius videtur, (quæ est & D. Hieronymi opinio) futurum illud idioma; quod primo homini Adamo à Deo fuit infusum, nimirum, Hebræum: Nam Deus ipse, Hebræâ linguâ Adamo fuit locutus in paradiso. Et ipse Filius Dei jam Incarnatus; eâdem linguâ usus est plerumque, & eâ arcana omnia fidei, mysteria, & Evangelia exposuit. Colloquia autem, quæ illic instituent, erunt, qualia olim fuerunt Apostolorum; cum repleti jam Spiritu sancto, in solemnitate Pentecostes, loquebantur variis linguis. Et quid loquebantur? [ a ] *Magnalia Dei?* sic illi inter sese jucundissimè different de immensis Dei perfectionib<sup>9</sup>; de ejus ineffabili sapientiâ, potentiâ, bonitate, misericordiâ, justitiâ; & potissimum admirabili il-

lâ

2 Acto. 2.

lâ providentiæ ejus œconomiâ, circa propriam suam salutem. Quam occultis callibus, & arcanis modis eos ad salutem promoverit? quoties suâ gratiâ prævenerit? Divinis instinctibus ad virtutem promoverit; in gravissimis dæmonis insultibus adfuerit; è præsentibus periculis eripuerit; ab æterno ex singulari favore eos ad gloriam elegerit? O quantò exultantis animi gaudio unus alteri, post enarrata salutis, quæ adiêre pericula, rêpetent illud sacrum Regii Vatis acroama [a]

*Nisi quia Dominus adjuvit me; paulò minùs habitasset in inferno anima mea.*

Quàm jucundum erit audire ex ore magni illius Pauli, quomodò cùm ipse in campo Damasci spirans iratum, & cædis in discipulos Christi, voce è cælo lapsâ, & fulgenti luce circumfusus, fuerit repentè ex Ecclesiæ persecutore, redditus ejusdem Apostolus. Ex ore Petri, quo pacto, cùm ille ter Christû negasset, ejusdem oculis in se conversis, illicò amarè fleverit. Quibus

S

ver-

a Psal. 93.17.



verbis efferet Christi erga se beneficentiam Magdalena; cui post vitam obscœnissimè in lupanaribus actam, remissa subitò fuère omnia peccata. Quoties narrabit ultimum, quò propè naufragium passus est, animæ periculum David; dum & iniquissimum commisit homicidium, & turpissimum patravit adulterium? Non tunc amplius canet tristem illam Nænam: [a] *Miserere mei Deus; sed Misericordias Domini in æternum cantabo.* Deinde alii differunt de arcanis fidei Mysteriis; de Christi Incarnatione, Nativitate, vitæ ejus normâ: de illius cruciatibus, Resurrectione, Ascensione ad cœlum, de Sacramentis. Singuli præsertim Religiosi narrabunt; quibus Dei afflatibus ex mundi fluctibus erepti, ad religiosæ vitæ portum fuerint promoti: aliàs æternùm perituri. Sic quilibet totius vitæ gesta, & pericula, & Divinæ circa se Providentiæ dispositionem, ac seriem, summâ cum animi

a *Psal. 50. 88. 2.*

animi triumphantis præ gaudio exultatione enarrabit. In hac magna Dei Basilica non resonabunt, nec audientur illorum voces, quibus in hac vita, linguâ, nobile illud hominis ornamentum, non est aliud, quàm ad Deum offendendum instrumentum. Illos non admittendos in sacrum illud cœlestium Oratorum Concilium; patet ex D. Paulo, qui dicit: [a] *Neque maledicos, neque rapaces Regnum Dei possessuros.* Quisquis ergo es candidatus Regni cœlestis, cave, ne censearis in cathalogo maledicorum. Qui sunt maledici; Qui, ut sanniones inverecundi turpicula, è trivio, & fæce populari petita semper in ore habent: qui, teste Ambrosio, [b] *velut plerimarum, huc atque illuc effluunt;* & temerè, putidè, ac indecorè omnia effundunt; qui, quidquid est, vel acrimonix in saryris, vel severitatis in jambis, vel obscœnitatis in elegiis, plenis buccis deblaterant. Sciant ergo detractores,

S 2

tuos

a 1. Cor. 6. 10.    b In Psalm. 118.

turos locū inter illos, qui summā charitate, & concordia sunt copulati. Oraculum enim est Pauli: *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Quid deinde? Audiamus Empyreæ domus secretarium D: Joannem? [ a ] *Qui non inventus est in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* In hoc stagno, inquam, fluctuantis, & fumantis ignis: consecrati detractores maledici, audaces, & infandi, cælo exclusi, ut ranæ informes, ut monstri pisces, ut marini dracones, squamis hirti, ore fædi, & edentuli natabunt, & tempus sempiternum cruciabuntur. Jam quis nescit, ut maris, ac fluviorum; sic stagnorum pisces, propriè dici mutos, sic illis detractoribus, Deus in stagno illo fluitantibus, vocem, & sermonem demet, quò nefariè sunt abusi. Nec canent illud lætum Alleluja, sed triste, & lamentabile væ, væ. Væ ergò maledicis! quoniam Regnum Dei non possidebunt.

CA

a Apoc. 20. 25.

## CAPUT VIII.

*Ingens Beatis est letitia materia, singulorum inter se concordia, & amor.*

[a] **C**Hristus, ut electos suos in mundi jam deficientis occasu consolaretur, eorum animos inter tot turbidas cæli, terræque tumultuantis tempestates erigeret; his illos verbis adhortatur. [b] *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra.* Non vult illos despiciere terras, sed respicere cælos: *Levate capita vestra*, id est, mentis atque intelligentiæ aciem attollite; abite, & affectu, & re etiam ipsâ à terra, mundumque hunc aspectabilem contemnite. Opportuno planè consilio; quia ut rectè Galfridus: *Non expectemus, ut mundus nos obruat: & necesse est, ut rna.t* Et vos ex mediis hujus turbulenti mundi fluctibus, quibus involvimini, levate capita vestra ad portum. Ex hoc cœno, luto, & fœcibus, quibus volutamini,

S 3

le-

a *Gaudium* ex societate Sanctorum  
& eorum amor. b *Luc. 42. 18.*

levate capita vestra ad paradisum.  
 Ex hoc luctuoso carcere, ex hoc ma-  
 sto exitio, ex hac valle lachrymarum,  
 levate capita vestra ad illud regnum,  
 ad patriam, ad montem Domini, cæ-  
 lestem Jerusalem. Ad hoc ipsum  
 piissimis nos verborum aculeis stimu-  
 lat Regius Propheta: [a] *Filii homi-  
 num usquequo gravi corde; ut quid di-  
 ligitis vanitatem, & queritis menda-  
 cium? filii hominum, quorum origo  
 cælestis, sator Deus, forma Divina,  
 Anima immortalis, corpus erectum;  
 filii hominum, quibus patria est cæ-  
 lum, merces Dei possessio; vestis, gra-  
 tia, expectatio æterna gloria. Usque-  
 quo gravi corde? Animi vestri, cum  
 sint spiritus, subtiles sunt, cælos pe-  
 netrant, comparantur Angelis, Deum  
 imitantur; cur humi cor defigitis,  
 per solum repitis, infra terram ab-  
 jicitis? filii hominum, si filii bellua-  
 rum, aut brutarum pecudum essetis,  
 non mirum esset, vos pronos specta-  
 re terram, & prono affectu ferri ad ter-  
 rena.*

a Psalm. 4. 3.

rena. Verum, *fili hominum*, rationis participes, totius universi Principes, quorum Animæ è cælo fatæ, in cælum aspirant: quorum oculi in supremo capite collocati, quasi supernorum speculatores; quorum mens tendit in verum, voluntas rapitur ad bonum. *Usquequo?* Non fat temporis vanitatæ consecratum? non fat effret, semel & iterum in veterem vilitatem degenerasse? *Usquequo?* Abiit futilis infantia; expiravit fatua pueritia; evanuit insana juvenus, præteriit virilis ætas, properas segnis senectus, instat mors, imminet æternitas. Vos ergo, qui hætenus fuistis, gravi corde, levate capita vestra illic, ubi est merces vestra: & quam illa copiosa futura sit, ex copiosissimo gaudio, quo Beati perfunduntur, ob gloriosam cælitum societatem, mutuam amorem, summam concordiam intelligite. Homines in hoc mundo sunt tanquam in itinere viatores, in diversorio hospites, in exilio advenæ: at ve-

rò, ubi ad patriâ pervenerint, tunc demũ audiunt ex ore magni illius Patris familias: [ a ] *Jam non estis hospites, & advena; sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei?* Modò dispiciamus, quales sint, qui admittuntur illic & cives, & domestici. Quærit Regius Vates: [ b ] *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet Deus: *Qui ingreditur sine maculâ, & operatur justitiam.* Itaque nemo unus illic est cum minima vel in anima labe, vel in fronte ruga, vel in vultu nævo, vel in veste maculâ. Illic nil intrat coinquinatum. Apud veteres, templa habebant fontes, quibus ante ingressum quilibet diluebatur: Inde & templa hujusmodi, delubra, à diluendo vocabantur, teste S. Isidoro. [ c ] Sic antequam ingredimur magnum illud templum veri illius Salomonis; necesse est, labes omnes eluere: quia nil coinquinatum intrabit in Regnum cælorum. [ d ] *Ipsa verò civi-*

*tas,*  
a *Ad Ephes. 2.* b *Pf. 14. 1.* c *15. Ety-*  
*mol. c. 5.* d *Apoc. 21.*

tas, (ait S. Joannes) *aurum mundum simile vitro mundo*. Non est vel minimus illic pulvisculus; multò minus in plateis cœnum, aut lutum, aut fæx. Illic sunt lilia, sed sine lolio; rosæ, sine spinis, aurum, sine scoriâ; uvæ, sine labruscis, granum, sine palea; frumentum, sine zizanio. Hoc innuit Isaias, his verbis: [ a ] *Hierusalem civitas sancta, non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisis, & immundus*, scriptum est: [ b ] *foris canes*. In illa patria, nullus est cum Abele, Cain, qui occidat: in illo regno, nullus cum Davide, qui persequatur Saul in illa familia, nullus cum Jacob Esau, qui oderit: in illa domo, nullus cum Isaaco, qui pugnet Ismaël: in illo Collegio, nullus est cum Apostolis, qui prodat, Judas. Nulli ibi claudi, manci, lufci. loripedes, gibbosi; sed omnes staturâ corporis æquales, colore candidi, corpore integri, formâ speciosissimi; omnes innocentes, sapientes, nobiles, affabiles. Deinde, si

juxta

a Isa. 51. b Apoc. 22.



juxta tritum adagium : In omni re  
 varietas delectat : hujus profectò de-  
 lectationis copiosissima erit materia,  
 quia maxima erit in tanta societate  
 varietas. Primò erit varietas sexuum,  
 viri, fæminæ, & neutri Angeli, in  
 quibus tres Hierarchiæ; in qualibet  
 tres Chori. Secundò, varietas na-  
 tionum: [a] *Ex omnibus Tribubus, lin-  
 guis, nationibus, populis*, ut loquitur  
 S. Joannes, qui tamen omnes se mu-  
 tuò intelligent, quia quilibet omni-  
 bus linguis loqui poterit. Tertiò,  
 erit varietas statuum; alii Patriar-  
 chæ, alii Prophetæ, Apostoli, Mar-  
 tyres, Episcopi, Doctores, Monachi,  
 Eremitæ, Virgines, Viduæ, Conju-  
 gati. Quartò, diversitas meritorum  
 in quovis Ordine: sicut enim stella  
 differt à stella in claritate, & alia est  
 claritas Solis, alia Lunæ; ita & in  
 Sanctis erit varietas gloriæ. Jam, si  
 varietas stellarum in cælo; varietas  
 florum in horto, varietas herbarum  
 in prato, arborum in silva, avium

in

a Apoc. 5. 9.

inaëre, ciborum in mensa, nationum in terra; varietas pennarum in pavone, piscium in mari, vel expressa tantum in libris, aut tabulis a deo delectet; quæ erit delectatio, videre in tanta multitudine tantam varietatem? Quale gaudium erit, illic vivos præsentisque spectare in cælo, quorum nunc ossa veneramur in sepulchro. Magni pendimus in theca aliqua argentea gestare ad collum, illorum vel cineres, vel partem vestis: deinde multorum dierum conficimus itineta, ut vel loca, ubi sepulti sunt, lustremus; illorum favillas & cineres, proni, corporis reverentia collimus, & dissuaviando osculamur, quid erit videre illorum corpora, quorum hîc veneramur vel ossa? Quanti æstimamus Augustini scripta, Chrysostomi Homilias, Gregorii Libros, Thomæ Doctrinam? quid erit, Magnos illos Heroes audire loquentes in cælis, quorum scripta sic admiramur in terris? Quanta erit voluptas, eorum consuetudine familiaria-

liariter uti ? quas tametsi nunquam viderimus, eorum tamen memoriam, festis diebus, cæremoniis, ritumque solenni celebramus. Sed præcipuum gaudium, quod percipiunt Beati, est ex tanta illa Cælitum omnium inter se concordia. Nullæ enim in tam numerosâ cælestium Civium turbâ, erunt turbæ. Adeò enim arcto charitatis, & sinceræ amicitia vinculo copulantur; ut non ita firmis compagibus membra membris adhæreant. Nulla enim ibi contradictio, oppositio, altercatio, ambitio, æmulatio. Omnes idem volunt, idem nolunt; quia omnes unam, & eandem habent, & observant regulam, Dei voluntatem refragari amplius non possunt. Majores illic gloriâ impensissimè diligunt se inferiores: hi contra officiosissimè colunt, & venerantur eos, qui sibi gloriâ præcellunt; & de gratiis in eos collatis maximoperè, & collætantur, & congratulantur. Bonum unius, bonum est omnium, & omnium uniuscujusque sigillatim: quisque namque

que bonum ejus, quem diligit, tanquã  
 proprium sibi adscribit; quin tan-  
 tum, ne dicam amplius gaudet quis-  
 que de bono alterius, ac de proprio,  
 idque per exuberantis charitatis ex-  
 cessum. Omnes eidem mensæ assi-  
 dent Divinitatis: omnes eodem bi-  
 bunt e calicè; omnes ex eodem fon-  
 te hauriunt. Deus siquidem in omni-  
 bus, & omnes in Deo; ipse illis o-  
 mnia. Ac proinde nulli afficiuntur,  
 nisi ipsi; adeò ut illos sibi uniens, il-  
 los & invicem uniat, & connectat,  
 juxta vulgatum illud Philosophiæ a-  
 xioma: *Quæ sunt eadem uni tertio,  
 sunt eadem inter se.* O Beatam socie-  
 tatem! in qua multitudo sine con-  
 fusione; magnitudo, sine ambitio-  
 ne; varietas, sine contentione: inæ-  
 qualitas, sine discordiã; æterna, sine  
 diminutione Charitas reperitur. Un-  
 de Sanctus Augustinus, exponens illa  
 verba; *Laudate Dominum in Sanctis e-  
 jus,* [a] ait, Sanctos ipsosmet esse tu-  
 T bam,

a In Psal. ult.

bam, Psalterium, cytharam, tympanum, & chorum, chordas, organum, & cymbala bene sonantia, quibus ibi dicuntur laudare Deum. Ipsi siquidem, etsi diversa sint instrumenta, & diversos recidant sonos, & tonorum differentias, uti in musicâ: omnes tamen aptissime consonant, & hâc differentiarum consonantiâ Deum concordissime laudant. Illic ergo, cum futura sit perfectissima Charitas, illa faciet quoque omnia communia. Pro hâc impetrandâ orabat olim Christus Patrem, cum diceret: *Rogate Pater, ut illi unum sint, per amorem, scilicet, [a] Sicut nos unum sumus, per naturam.* Itaque omnes & Angeli, & Beati homines unum sunt, magis, quàm membra unius, ejusdemque corporis; quia omnes participant de eodem spiritu, qui dat omnibus unum esse, & unam beatam vitam. Unde qua-

a Joann. 17. 10.

so , membra unius corporis tantam inter se habent unitatem , & concordiam ? Causa est ; quia omnes de unâ , eâdemque formâ communicant , quæ est una , eademque Anima : quæ dat unicuique esse unum , & vitam unam. Si anima , seu spiritus humanus tantæ sit virtutis , ut possit inter membra tam longè inter se , & natura & officio differentia , ut sunt pedes , & caput , tantam unitatem conciliare : quanto magis poterit spiritus Divinus , per quem vivunt omnes Electi , tantam ; & multò perfectiorem unitatem facere inter ipsos cœlorum cives , & incolas. Jam verò , si hoc modo unitas , & amor omnia communia faciat , tam bona , quàm mala ; quantam lætitiâ unus Electus ex gloria capit omnium aliorum , dum quemlibet , & singulos amat sicut seipsum ? Nam ( ut Divus Gregorius loquitur ) hæreditas cœlestis pro toto exercitu Sanctorum est u-

na , & pro uno illorum , tota : singuli enim de gaudio omnium tantam percipiunt lætitiã , quantam perciperent , si ipsi omnium possiderent. Quid jam hinc sequitur , nisi , quemadmodum Electorum infinitus quasi est numerus ; ita & singulorum gaudium futurum sit infinitum ? Ut autem cœlo potiamur , hanc prudentiæ regulam sectemur : videlicet ut non rarò totius vitæ nostræ rationes ob oculos nobis subjiciamus , eamque accuratè ad hanc amussim componamus ? An vitæ hæc mea , quam hoc modo duco , cœlo sit digna ? Quidquid Christus prohibet , facio ; quidquid faciendum præcipit , rejicio : sperno ejus consilia ; non audio ejus monita ; despicio mandata ; violo ejus leges ; non obtempero ejus instinctibus : ficcine itur ad astra ? Deinde vehementer conducet , ut singulas sæpè actiones respiciam , meipsum interrogando : Estne hæc actio confen-

tanea vocationi meæ ! atque adeo ducitne hæc actio ad cœlum ? Estne talis , ut mercedem inde , & bravium à cœlesti Agenothesi expectare liceat ; imprudens sum , si exequar illam , unde ad æterna bona mihi aditus vel intercipitur , vel impeditior redditur. Hæc regula opera sua omnia metiebatur sanctus Ludovicus Galliarum Rex , qui sceptrum ad modum obelisci artificiosè elaboratum in annulo inclusum gerebat , cum hoc symbolo : *Volo solidum , perenne* , quasi dicat , omnia dicta , facta , cogitata volo , ut cœlum & æternitatem spectent. Sed mentes hominum fascinat amor terræ. Hostis offert pomum , ut rapiat Paradisum : terram cum auro suo ingerit , ut subtrahat cœlum ; voluptates fluxas obtrudit , ut auferat æternas ; honoris fumum venalem offert , ut adimat immortalitatis gemmam. Concludo cum Div. Bernardo,

[ a ] *O verè miser homo , ut miserum*

T 3

rum

a Serm. de miseria hominis.



rum pascas corpus, & vestias, & carnis voluptatibus, quæ post paucos dies à vermibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras; discurras, vigilas, & somnum non capis, ut repleas ventrem. & pro Animâ tuâ, quæ Deo presentanda est, cur non sollicitus fatigaris, ut ipsam pascas bonis operibus, & induas virtutibus, ne appareat nuditas ejus? *Va tibi est! & vatibi erit!* quia reddes, quæ sunt Cesaris Cesari; & non quæ sunt Dei, Deo. *Vide miser,* quia totum, est vanitas; totum, est stultitia; totum, dementia, quidquid facies in hoc mundo, præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & honorem Dei facies.

## CAPUT IX.

*Deus clarè visus , est tota hominis  
salus.*

[ a ] [ Saïas plenus jam cœlesti instin-  
ctu , ac Divino atlatu , cum  
vellet prædicando vaticinari & ex-  
ponere felicissimam hominis Justi  
jam demortui conditionem ; multa,  
immò omnia his paucis complexus  
est verbis : *Dicite Justo , quoniam be-  
nè.* [ b ] Sub unicâ illâ voculâ Be-  
nè , totam comprehendit Beati felici-  
tatem ; quasi dicat , si benè est pe-  
regrino , dum pervenit in patriam ;  
si benè est nautæ , dum subiit por-  
tum ; si benè est militi , dum fruatur  
pace ; si benè est rei cuicumque , dum  
quiescit in centro : dicite Justo , quo-  
niam benè ; quia dum Deum videt ,  
jam quiescit in centro ; jam factus est

T 4

in

a De Visione Dei. b Isa. 3.

in pace locus ejus ; jam fruitur portu ;  
 jam habitat in patria. Deus confir-  
 maturus animum Moysis , & indura-  
 rurus contra omnes , quæ illi impen-  
 debant calamitates, dicit. *Ostendam tibi  
 omne bonum*, [ a ] quasi dicat : Noli a-  
 nimo dejici , nec frangaris adverfita-  
 te , tibi ipfi consta in ærumnis : sint,  
 licet graves , quos exantlas , labores ;  
 dura , quæ pateris , incommoda ;  
 magna , quæ subis , pericula ; multæ ,  
 quas tolleras, molestiæ ; major tamen  
 his omnibus erit merces tua : *Osten-  
 dam tibi omne bonum*. Tria sunt bo-  
 norum genera : honestum , utile ,  
 jucundum : hæc omnia bona tibi  
 ostendam. Ad hæc , alia sunt ani-  
 mi bona : sapientia scilicet , scientia,  
 virtutes : alia , corporis pulchritudo,  
 fanitas , robur : alia verò externa,  
 divitiæ , voluptates , gloria. Hæc o-  
 mnia ostendam , cùm Unum bonum  
 ostendam : sed quale bonum osten-  
 des ?

a *Exod: 33.*

des ? Omnis boni bonum , cui nil potest addi. Hic semper bono aliquid additur : dicitur enim bonus homo , bonus ager , bona domus. Quoties dicis bonum , semper aliquid adjicis : sed bonum simplex , bonum , quò cuncta sunt bona , est Visio Dei. De hâc Visione Dei , quæ est ipsa totius Beatitudinis essentia : sine quâ , licet omnia bona adessent , nemo esset Beatus , differemus. Hactenus , quæ de cælo diximus magna , multa , mira , non modò pauca , parva , communia , sed propè nulla censebuntur , si consideremus è folio Dei emicantes radios infinitæ sapientiæ , amorisque immensi , qui sua luce Beati mentem illustrabunt : & torrentes voluptatis inde manantes , quibus animus , & omnis illius affectio obruetur. [ a ]

Cùm olim Trajanus Imperator in Senatum venisset , vultumque illum suum exhibuisset , pulchritudine & divina moderatione augustum , ac

T 5

Ma-

a Plin. in panegy.

Majestate suspiciendum : communi omnium Senatorum voce acclamatum est : *O nos felices !* Quam se felices exclamabunt Beati omnes, cum Magnus ille Rex Regum amabilem illum vultum suum aperiet : quem prius obvolatum, atque in hac vita per speculum, perque ænigma videbamus, in quo intuendo, & amando, & fruendo, summa & absoluta est felicitas. Ibi tandem aliquando cor illud, quod in mortali hac peregrinatione, *inquietum* semper est, ut agebat sanctus Augustinus, cor quod ad DEUM unum perenni motu ferebatur, suavissimè conquiescit? [a] *Unversa cessant, discurruntque moveri cum venerint sua in locum,* ait Aristoteles. Sic, cum Deus sit boni centrum, & totius Beatitudinis complexio; qui perfectè illum possidet, nil aliud est, cujus desiderio capi, & teneri queat. ibi quiescet appetitus intellectus nostri nec amplius sapere

a *Arist. l. 1. de celo c. 9.*

re quidquam expetet, habebit enim in conspectu suo omnia, quæ sciri possunt. Quiescet hinc cupiditas voluntatis: amabit enim bonum illud, in quo uno, bona sunt omnia: extra quod, nullum bonum reperitur. Ibi appetitus omnis edendi, bibendique satiabitur abundantiam cœlestium epularum? Ibi tres illæ virtutes, Fides, Spes, & Charitas, quibus hæc in vitâ potissimum colitur Deus, liberalissimum recipient præmium? Fides, visionem; Spes, possessionem; Charitas imperfecta, ultimam perfectionem. Itaque non mirum, si tot bonis circumfluens anima, quæ toto mundo sic expleri non potuit, ut non longius, latiusque finem immensæ cupiditatis extenderet, jam beatam satietatem experiatur, juxta Davidis vaticinium: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* [ a ] Vel, ut vertit Sanctus Hieronymus: *Implebor, pro*

T 6

sa-

a Psal. 16. 15.

satiabor. Illa est gloriosa expletio:  
 quæ nil vacuum & inane dimittit, nil,  
 quod præterea possit animus appetere,  
 & prosequi. Beata saturitas, sine  
 nausæ; voluptas, sine fastidio; per-  
 ennium voluptatum usus, absque  
 mollitiæ; & continua, sine labore, felicitas.  
 Quantum ergo necesse est esse illam  
 pulchritudinem, quæ sola conspici-  
 ta tam Electos omnes reddit felices,  
 ut non possint esse feliciores. Sed  
 quid mirum est, si tantæ pulchritudinis  
 visio Beatos faciat Angelos omnes,  
 juxta ac homines; cum beatum reddat  
 ipsam etiam Deum, qui non habet aliam  
 Beatitudinem, quam ut videat propriam  
 suam pulchritudinem, eaque fruatur?  
 Ad hujus rei cognitionem, etiam in  
 cæca illa gentilitatis caligine, pervenit  
 Ethnicus ille Philosophus, imò Philosophorum  
 Princeps Aristoteles, hoc inductus argu-  
 mento: summum illud bonum, ait, cum  
 vitam

vitam habeat, necesse est, in aliqua re se exercent: sed non dormit, cum liberum sit ab omnibus operibus humanis; qualia sunt edere, bibere, & similia: oportet igitur in alio nullo se exercent, quam in contemplatione? An aliquid extra se, cujus contemplatione beatus sit? Nequaquam: nam si tale quid esset; id melius esset, atque nobilius illo: ejus enim visio beatum faceret illud summum Bonum: & per consequens hoc Deus esset, non illud. Rectè igitur concluditur: si exercitium summi Boni sit contemplari, & contemplando beatum esse; nil autem contempletur extra se: sequitur quòd seipsum semper contempletur, & proinde infinitè beatus sit. Qualis igitur erit illa pulchritudo? si intueri illam, & contemplari duntaxat beatum faciat etiam ipsum Deum, impleatque sinum illum immensum, & capacitatem felicitatis infinitæ infinitam?



Qualis erit illa pulchritudo, quam Dominus ille ab æterno contemplatur, & in æternum contemplabitur, sine ullo tædio, vel fatigatione? unde & tantam, tamque inexplicabilem concipit voluptatem, ut quidquid unquam creavit, vel creare possit, nil esse videatur, si cum illa voluptate conferatur. Quomodo natabit homo in hoc tantæ magnitudinis pelago, cum ipsa Dei magnitudo in hoc natare valeat? Ah pulcherrime pulchritudinis Auctor, aperiantur oculi mei, ut videant hanc speciem, & cæteris rebus omnibus claudantur! sint mihi Domine, omnes creaturæ, speculum, in quo te contemplari: imago, in qua te videre: scala, qua ad te ascendere: liber, in quo tuas perfectiones legere possim. Non miror dixisse dæmonem aliquando ex ore obsessi: si totum cælum esset pergamenum, & totum mare atramentum, & omnes stellæ magistri Parisienses, & omnia stramina calami:

hi

hi omnes Magistri, & cæteri nec exprimere scribendo, nec exponere loquendo possent minimum gaudium, quod percipiunt Sancti ex vultu Dei. Itaque in Deo videbitur decor & venustas omnium rerum creatarum & creabilium. Illic videbimus varietatem & pulchritudinem omnium temporum, jucunditatem Veris, claritatem Æstatis, abundantiam Autumni, & Hyemis quietem. Illic sapientia Salomonis, videbitur ignorantia; illic pulchritudo Absolonis, deformitas; illic fortitudo Sampsonis, imbecillitas. Tanta est autem delectatio, quæ percipitur ex visione Dei, ut licet quis omnes omnium Martyrum cruciatus sustinuisset à primo mundi die usque ad extremum, abundè Deus illi satisfaceret, & merita illa omnia compensaret, si se illi videndum exhiberet unico momento. Effugit enim verò omnem intellectum, quanta futura sit delectatio intueri, & intelligere, quo.

quomodo Deus sit invisibilis, omnia videns; immutabilis, omnia mutans; immotus, movens; semper agens, & semper quiescens, colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione. Quomodo, cum sibi met ipsi non dissimilis sit, dissimiliter tamen agat dissimilia? Quomodo, qui ubique semper est, & tamen vix inveniri potest: quem stantem sequimur, & apprehendere non valeamus. Quam lætitiã ergo Beatus non perfundet! Quo gaudio extra se non efferetur? Itaque videre Deum, est præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitiã sempiternã, corona decoris, brævium felicitatis, pulchritudo pacis. Ipse præmium, & merces expectationis. *Ero, inquit Moyfi, merces tua magna nimis.* Magnum enim magna decent. Verè tu DEUS magnus es, & merces tua magna nimis. Neque enim magnus es tu, & parva merces tua: sed ut magnus es, ita magna merces

merces tua. Quoniam non aliud es tu, & aliud merces tua. Sed tu ipse magnus nimis: tu ipse magna merces nimis. Tu corona, & Coronator; Tu Promissor, & promissio; Tu remunerator, & munus. Piè de hac visione Laurentius Justinianus: [a] Divinis splendoribus, & perpetuâ claritate fulgebit rationalis potentia, incomprehensibili lumine, veritate perspicua, serenitate lucidissima, & jucunda visione lustrabitur? Nam secunda Dei verbo, & clara visione ei inhaerens, inscrutabilia secretorum Dei iudicia, & ineffabilia sapientia ipsius arcana, vero percipiet cognitionis intuitu: videbit Deum in seipso; videbit se in Deo, & Deum in se: videbit Deum in creaturis, & creaturas in Deo; sicque ineffabili luce decorabitur; lumine namque gloria circumfusa, Aeternum ab aeterno aeternaliter genitum contuebitur; atque meridiano splendore illustrata, sine differente, vel obnubi-

lante

a De disciplin. & perfect. monast.

lante medio, Dei essentiam contem-  
plabitur. Et paulo post: Ab immensi-  
tate decoris, à perennitate gloria, à sua-  
vitate spiritus, à liberalitate infusionis,  
à continuatione gaudii, ab inhaesione  
dilecti totaliter comprehensi, omnes  
circumfusi quodam irreverabili intui-  
tu, & donati imperturbabili pace,  
Dei beatissimam fruuntur essentiam: sicque  
totus rationabilis spiritus Dei insigni-  
tus Imagine, in suum se transforma-  
bit Auctorem; nulla deinceps polluen-  
dus labe, nullo timore turbandus: sic  
ipse. Verè dixit Augustinus: [a]  
Quod Deus preparavit diligentibus se,  
fide non capitur, spe non attingitur,  
charitate non apprehenditur, desideria  
& vota transgreditur; acquiri potest,  
estimari non potest. Sed melius celo-  
rum gaudia exprimet idem Augusti-  
nus, admiranda quadam, quam ipse  
describit visione, quam verbis: ip-  
sis ejus verbis historiam contexam:

[a] Eâ-

a l. 22. de Civit.

[a] Eâdem die & horâ, quâ obiit Hieronymus, eram Hippone in cellula mea quiescens, avidè cogitans, qualis inesset animis Beatorum gloria, & lætitiarum quantitas; cupiens inde ex hac materia brevem componere tractatum, &c. Chartâ, calamo, pugilarique in manibus susceptis, ut brevem scriberem Epistolam sanctissimo Hieronymo destinandam; ut quidquid ex hoc sentiret, responderet: Cumque jam scribens saturationis exordium, Hieronymo prænotarem; ineffabile subito lumen, nostris invisum temporibus, nostrisque minimè linguis declarandum, cum ineffabili inauditaque omnium odorum fragrantia cellulam, in qua stabam, intravit: quo à me viso, stupore admirationeque commotus, animi & membrorum virtutes repente amisi. Nesciebat enim, quod tunc Dextra mirabilis Dei exaltasset servum suum. Itaque quia talem nunquam oculi mei perspexerant lucem, olfactus

meus

a Epist. 205.

meus odorem non senserat: tam novis,  
 tam inauditis miris obstupesceram. In-  
 ter hac de luce hac dicens verba, vox  
 emicuit: Augustine, quid quæris? pu-  
 tasne brevi immittere vasculo mare to-  
 tum? brevi pugillo intercludere terra-  
 rum orbem? calum firmare, ne usitatas  
 exerceat motus? Quæ oculus nullius ho-  
 minis videre potuit, tuus videbit? quæ  
 auris nulla per sonum hausit, audiet tua?  
 quæ cor humanum nullatenus intellexit,  
 nec etiam cogitavit, existimas te posse in-  
 telligere? Infinita rei, quis erit finis?  
 Immensa, quâ mensurâ metieris? Potius  
 totum mare in arctissimo claudetur  
 vasculo; potius terrarum orbem parvu-  
 lus teneret pugillus: potius calum à mo-  
 tu continuo desisteret, quàm gaudiorum  
 & gloria, quibus Beatorum Anima si-  
 ne sine potiuntur, minorem intelligas  
 particulam. Impossibilia facere ne co-  
 neris. Hic non quæres, quæ non alibi,  
 nisi quo tam faciliter properas, inveniri  
 possunt. Hoc satage, talia exerce opera,  
 ut ea, quæ hic aliquantulum intelligere cu-  
 pis,

pis, in aeternum habeas: Hæc de se Augustinus. Cur ad tanta, & tam certò nobis promissa bona; inter tot, quæ nos hîc premunt, mala, mentem non erigimus? Cur Daniele, in Babylone captivum non imitamur? Is [a] ait scriptura, *ingressus est domum suam, & fenestris apertis in canaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* Ipse ergo è tristi Babylonis captivitate eminens salutabat Patriam suam Jerusalem: non aperiebat fenestras, quæ ad Babylonem spectabant; sed quæ ad Jerusalem. Claudite hîc oculos, est Babylonia, nil occurret hîc dignum visu: aperite, ut sursum suspiciatis, ibi est Jerusalem, visio pacis. Habemus in nobismetipsis domum, cujus pars inferior est corpus, superior Anima; binæ illic sunt fenestræ: Intellectus, Voluntas: fertur Intellectus in omne verum, Voluntas in omne bonum: utrumque nusquam verè, ac plenè invenitur, nisi in Jerusalem.

¶ Dan. 6.

Per



Per has geminas fenestras saluta, & respice Jerusalem Patriam tuam. Fili Adam, hæc Patria vestra. Oves Christi, hoc est vestrum ovile, hæc pascua vestra, columbæ seductæ non habentes cor, hic vester nidus, hæc requies vestra. Quid agitis? quò curritis? quid persequimini? Cur tantum bonum vobis tam leviter eripi finitis; Cur non fortiter tanto stipendio dimicatis? Cur celeriter tanto promisso bravio non curritis. Hic tempus certaminis est, illic triumphus. Hic sementem facere, illic metere oportet. Cur uvas colligitis, antequam maturescunt? Cur otio & voluptatibus ante tempus vacatis? Vacate nunc contemplandæ cælesti Jerusalem, ut illic ingressi, aliquando audiatis: [a] *Vacate, & videte; quoniam suavis est Dominus.*

## CAPUT X.

*Ultimus hominis finis, est bonorum  
omnium æternitas, sine fine.*

[a] **H**Oc capite finem imponemus  
materiæ illius Regni, cujus  
nullus est finis; ostendemusque u-  
berrimam Beatissimis omnibus accrescere  
lætitia segetem ex bonorum om-  
nium, quæ possident, æternitate.  
Bona omnia temporalia, perpetuas  
vicissitudines subire, continuâ verti-  
gine circumagi, jugi instabilitate,  
perniciosissimaque fugacitate in su-  
um præcipitare occasum, quotidia-  
na docet experientia; sola, quæ in  
cælis sunt, bona sunt solida, stabilia,  
firma, immobilia, æterna. Hinc re-  
ctè exclamat S. Augustinus: [a] *O*  
*regnum beatitudinis sempiternæ! ubi*

ju-

a *Æternitas omnium bonorum in*  
*caelo.* b *Soliloq. c. 35.*

juventus nunquam senescit: ubi decor  
 nunquam pallefcit: ubi amor nunquam  
 tepescit: ubi fanitas nunquam marcef-  
 cit: ubi gaudium nunquam decrefcit:  
 ubi vita terminum nescit. Sic ipse. De  
 illo regno ita loquitur Ifaias [a] Reg-  
 num tuum, regnum omnium ſæculo-  
 rum. Felix regnum, cujus quot ſunt  
 habitatores, tot ſunt poſſeſſores;  
 quot cives tot Reges; felix, iterumque  
 felix Regnum! cujus opulencia infi-  
 nitas; cujus amplitudo, immenſitas;  
 cujus duratio æternitas; cujus dig-  
 nitas, divinitas. Sed æturi de hujus  
 Regni æternitate, de ipſa prius aga-  
 mus æternitate. Viri Divino ſpiritu  
 afflati, ajuat ſolum Deum æternum  
 eſſe, temporis Dominum, cujus reg-  
 num ſit regnum omnium ſæculorum:  
 alia omnia labi, & fluere, & pondere  
 ſuo tendere in nihilum. Nam tametiſi  
 Animæ, & Beatæ mentes dicantur  
 æternæ; non tamen ſemper fuerunt,  
 nec niſi alieno beneficio ſunt futuræ,  
 ita

a Iſa. 57. 15.

ita ut quodammodo fæneratitiam  
 æternitatem, & precariam perpetui-  
 tatem habere videantur. Cæterùm  
 clarè Divina Oracula pronuntiant  
 solum Deum esse propriè æternum.  
 Quam ob causam, *Rex seculorum*,  
 nuncupatur à D. Paulo [a]. *Anti-*  
*quus dierum*, à Daniele. Ab Isaia:  
*Excelsus, & sublimis, habitans æter-*  
*nitatem.* A Siriis, *Gigas seculorum*,  
 ob magnitudinem potentix, & ma-  
 jestatem æternitatis: solus ergó Deus  
 æternitate sua tutus, & totus est,  
 nusquam variabilis; qui omnem  
 temporis fluxum, & sæculorum  
 commutationem idem exuperat.  
 Sicut enim immensitas Dei, totam  
 Dei magnitudinem, quæ absque ter-  
 mino quaquaversum super cælos  
 in immensum diffunditur, colligit  
 in punctum, ut non minus habeat  
 in puncto loci, quàm in spatio infi-  
 nito: ita æternitas durationem, &  
 quasi ætatem Dei, quæ infinito tem-

V

po ri

a *Tim. 1. Dan. 7. 9. Is. 57. 15.*

pori coextenditur, colligit in momentum; ita ut totum possideat in instanti, sive in puncto. Sicut enim se habet immensitas ad punctum loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Talem, aut hominibus, aut Angelis, æternitatem non transcribimus: solus enim Deus est, [a] *Excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & Gigas sæculorum*. Ut tamen ei, quæ fieri poterat, etiam in duratione similes fieremus; [b] *sicut ille est vivens in sæcula sæculorum, & vivens in sempiternum*: [c] ita voluit & nos, qui ab æterno quidem nec fuimus, nec esse potuimus; saltem posthac in sæcula sæculorum, & in sempiternum vivere. Hæc etsi non sit propriè dicta, & adæquata, sed quodammodo dimidiata; est tamen à Deo participata, & in futurum infinite extensa, veraque æternitas, divinæ æternitati dissimilis

qui-

a Is. 57. 15. b Apoc. 10. 6.

c Dan. 4. 31.

quidem duratione retrò infinita; similis tamen duratione in futurum infinita, & inexhausta. Qualis ergò in illis existere debet, & exuberans in omnem partem lætitiæ copia? ubi bona omnia sunt simul congesta, & singula æterna? possessio boni infiniti & æterni: æterna lux, æternum convivium, æterna lætitia, æterna laus, æterna jubilatio, æternus triumphus, æternus pulcherrimi Dei aspectus, & quidquid bonorum optari potest. Verè ergò sunt Beati. Quia, *Beatitudo* (teste Boëtio) est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. [a] Beatitudo ergo est status, id est, bonum quoddam permanens; quod fortunæ lusibus non subest, neque enim novit fortunæ rotam volubilem, clavum enim apposuit ei: quare bonum illud immensum, occasum ignorat, & vicissitudinem. Hinc D. Augustinus dubitans, quomodo

V 2

modo

2 3. de Consol. Philos. 2.

modo post diem Iudicii, misericordia Dei dicatur æterna, cum in cælo non sunt Beati indigentes misericordia, & ait: [a] *Rectè in æternum futuram misericordiam ejus dicimus: non quia in æternum miseri erunt, & ideo in æternum ejus misericordia indigebunt; sed quia ipsa Beatitudo, quam misericorditer miseris præstat, ut esse miseri desinant, & esse Beati incipiant, non habebit finem; & ideo in æternum misericordia ejus: quod enim Justi erimus ex iniquis, sani ex infirmis, vivi ex mortuis, immortales ex mortalibus: & Beati ex miseris, misericordia ejus est; hoc autem quod ita erimus, in æternum erit: ideo misericordia est in æternum, quia benefactum, quod nobis misericorditer præstat, in æternum est. Ergo status, & quidem omnium bonorum aggregatione perfectus: nullum enim bonum non ibi; Plato beatum illum dixit, cui nil boni deest.*

Et

a *Exposit. Ps. 135. Confitemini, &c.*

Et D. Bernardus : [a] *Beatitudo est, ubi nil sit, quod nolis : & ubi totum sit, quod velis : sic ille. Nil ibi, quod nolis; non fames, non sitis, non nuditas, non paupertas, non lassitudo, non dolor, non timor, non labor, non inimicus, non morbus, non mors : nullum ibi malum, nec pœnæ, nec culpæ. Nil ibi, quod non velis : sed totum ibi, quod tu velis, delitiæ, divitiæ, honores, amici, salus, vita. Extollit mirificè ex hoc capite Beatorum statum Sanctus Augustinus : [b] Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum ? vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Quia tunc non erit ulla necessitas : sed plena, certa, segura, sempiterna felicitas. Ipse finis erit desideriorum nostrorum : qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. O verè maximum sabbatum, non habens vesperum ! Ibi vacabimus*

V 3

G

a Serm. de triplici genere bonorum.

b L. 22. de civit. cap. 30.



& videbimus: videbimus, & amabi-  
 mus: amabimus, & laudabimus!  
 Ecce, quid erit in fine, sine fine? Nam  
 quis alius noster est finis? nisi perveni-  
 re ad regnum, cuius nullus est finis?  
 Hac est requies sempiterna, sine fine  
 erit requies ista, sine fine erit gaudium  
 hoc, sine fine erit incorruptio. Vitam  
 aeternam habebis: requiem, quæ non  
 habet finem. Quanto labore digna est  
 requies, quæ non habet finem? Sed fi-  
 nem imponamus huic Regno, cuius  
 nullus est finis, probando illud Re-  
 gnum cum infinitis, quos continet  
 thesauris; cum immensis, quæ com-  
 plectitur bonis, posse emi, & quidem  
 exiguo pretio. Accipite ex D. Augu-  
 stino ejus pretium, & accendite ad  
 emendum vestrum desiderium. [a]  
 Venale est, venale est, quod habeo, dicit  
 tibi Deus. Eme illud. Quid habes ve-  
 nale? Requiem, ait, venalem habeo;  
 emi illam. Dicit ei: Quantum valet?  
 Pretium ejus labor est. Quanto labore  
 digna

a In Psal. 93. post medium.

digna est quies, quæ non habet finem! si  
verum vis comparare & verum judica-  
re; æterna requies, æterno labore rectè  
emittitur: Verum hoc est; sed noli timere;  
misericors est Deus. Si enim haberes æ-  
ternum laborem, nunquam pervenires ad  
æternam quietem. Ergò ut aliquando  
pervenias ad id quod emittitur, non in æter-  
num laborandum est: non quod non va-  
leat tanti, sed ut possideatur, quod emi-  
tatur. Digna est quidem emitti labore per-  
petuo; sed necesse est, ut labore temporali  
emittatur. Decies centena millia anno-  
rum habent finem: quod tibi dabo, di-  
cit Dominus, non habet finem. Qua-  
lis misericordia Dei? non dicit decies  
centena millia annorum labora; non di-  
cit, vel mille annis labora; non dicit,  
quingentis annis labora: sed cum vivis,  
inquit, labora, in paucis annis. Inde  
jam requies erit: & finem non habebit,  
&c. Ecce quantum pretium datus:  
quodammodo unam siliquam, ad accipi-  
endum thesauros sempiternos: sic ipse,  
Sed fors erunt, qui se labore cœlum

emere posse negabunt: quia sunt viribus infirmi: conditione debiles, naturâ delicatuli. Idcirco, ut & hanc ansam tibi eriperet sanctus Augustinus, aliud adhuc, & longè vilius pretium emendi cœli proponit. Cùm multa simul conglobasset in laudem cœli, tandem concludit: (a) *Facilius inveniemus, quid ibi non sit, quàm, quid ibi sit? Et tamen venale est. Eme, si vis. Nec multum astues, de re magna, propter magnitudinem pretii. Tantum valet; quantum habes. Noli querere, quid habeas, sed qualis sis. Res ista te valet, tantum valet, quantum es tu, Te da, & habebis illam. Quid exastuas, quid turbaris? Nunquid quesiturus es te; aut empturus te? Ecce tu qui es, qualis es, da te illi, & habebis illam. Sed malus sum inquires, & forcè me non accipit: dando te illi, bonus eris; sic ille, Hæc, cùm ita se habeant, cùm in cœlo sint omnia æterna; & æterna comparari possint tam exiguo pretio, labo-*

a De verb. Dom. ser. 64. c. 2.

bore momentaneo, nos, ut Regnum illud omnium sæculorum emamus, in rebus omnibus omittendis, & agendis, præcipuè semper spectandū, quid expostulent rationes æternæ; sive, ut explicatius dicam, quid extremus vitæ nostræ finis exigat; quid summum bonum, quo sunt omnia referenda; Quid Deus ipse, qui summum bonum est, finis noster. Quid postulet major Dei gloria, cum nostra semper salute conjuncta. Quid ea super rediçet, consulta fides? quid sacra Scriptura? quid disciplina Christiana? Non quid sensibus arrideat: quid natura vitata requirat: quid in præsentī maximè sit gratum, facilè, jucundum. Assumat igitur, æternitatis trutinam, & ad eam omnia dicta, facta, cogitata diligenter expendat. Ita faciebat olim S. Franciscus; undè cū frater ejus, homo arroganter insolens, ab illo semī nudo, & algente, amariore joco, quàm deceret fratrem, rogasset, sudoris guttam sibi drachmā venderet; lætis-

simus respondit; se jam pridem totum Domino vendidisse, & quidem ingenti pretio sempiternæ vitæ. Idem post aliquot annos, gravissimis doloribus exagitatus; & novis insuper molestiis à dæmone divexatus, ut jam humanæ vires, ferendo vix essent: audiit è coelo sibi verè gaudendum; quod per eas tribulationes tantùm sibi thesaurum acquireret, cui nullus in terra comparari posset; licet tota terra in aurum; omnes lapides in gemmas; omnes aquæ in balsamum verterentur: quâ voce cœlesti sic est recreatus, ut jam non sentiret dolorem, statimque advocatis præ gaudio fratribus, narraret, quod è cælo solatium accepisset. Verè ergò, [ a ] *Beati, qui habitant in domo tuâ Domine, in secula seculorum laudabunt te. Æternitas sæculum unum est; annus unus est, dies unus; imò punctum unum, propter indivisibilem unitatem infiniti: Tamen dies sunt infiniti, anni infiniti,*

a Psal. 33.

ti, infinita sæcula, propter immensitatem. [a] *Dies Domini*. Non est alia ætas digna Deo, quàm æternitas, nec alio digna æternitas quàm Deo. Et nos æternitate fruentes in cælo, erimus Divini, pleni Deo, filii Dei; vivemus cum Deo, erimus quasi Dii. O æternitas! Magnitudo Dei, est immensitas; Natura Dei est bonitas; virtus Dei, est infinitas; voluntas Dei, est æquitas: lex Dei, est sanctitas: vita Dei, est felicitas: ætas Dei, est æternitas. O admirabilem ætatem! Ætas, quæ nec transit, nec venit, nec in curriculum revertitur: sed commensurata (si dicere liceat) & adæquata Deo. Sicut enim ille immobilis est, & omnia movet: sic æternitas stat semper immota, ut centrum, & axis; volvit tamen tempus & mundum, ut rotam, vel sphæram. Ideoque æternitas omne tempus includit, præteritum, quia erat; præsens quia est: futurum, quia erit. Non sic erat, ut transierit, uti

a 2. Cor. 3.

dies

dies hesternus , quia fuit : & non est ,  
 non est : quomodo præsentis tempo-  
 ris instans , quod in ictu oculi currens  
 est , & non est. Non erit , quia quod  
 erit , nunc non est , sed futurum expo-  
 ctatur. Sicut dies crastinus : sed erat,  
 sine principio , & sine medio , & erit  
 sine termino. O ætas incomprehen-  
 sibilis ! ætas antiquissima , & prima !  
 ætas novissima , & ultima ! immò nec  
 prima , nec ultima ! ætas unica , & so-  
 la ! dies unus : (a) *Melior est dies una  
 in atriis tuis super millia.* Quis te pote-  
 rit laudare , ô beata æternitas ? Tu es  
 antiqua , & uova ; non prius antiqua ,  
 quàm nova ; non prius nova , quàm  
 antiqua : imò ideò antiqua , quia no-  
 va : ideò nova , quia antiqua. Anti-  
 qua es , ô æternitas ! quia semper fui-  
 sti : Nova es , quia semper eadem es :  
 Non deficit unquam. O beata æter-  
 nitas ! non mutaris unquam , quoti-  
 die reflorescis , & renovas omnia infe-  
 riora ,

a Psal. 38.

rora , cūm semper stes immobilis. Æ-  
 ternitas regnat , æternitas vincit , æ-  
 ternitas imperat , æternitati laudes , æ-  
 ternitati gratias , æternitati triumphā-  
 les honores. Ad hanc æternitatem  
 vos invito : hanc æternitatem  
 vobis opto , hanc æternita-  
 tem precor & spero.



X

IN-